Introductionis
AD ARTEM RHETORICAM
LIBER II.

M. ANTONIVS BONCIARIVS
tertium recenſuit, & ad ſcholarum
vſum accommodauit.

*Acceſsit Oratio de natura, & vſu Rhetorices
nunc primum edita.* p. 55.
Et Catalogus operum Authoris p. 77.



PERVSIAE,
Apud Academicos Auguſtos. CIϽ IϽ CVI.
Superiorum Permiſſu.

LECTORI

Editionis tertiæ S.

CVM dedimus, quattuor ab hinc annis, primum librum rhetoricæ Introductionis, in eo Artem dicendi ſeiunctam ceteris diſciplinis, totam compendio expoſuimus; & hanc quidem noſtrates adoleſcentes, commodum excurſa perceptaq; Grammatica, facile intelligunt, & ad verbum ediſcunt cum fructu. Secundus autem liber, qui Rhetoricæ vſum perſequitur, & rationem docet texendarum Orationum, auditorem deſiderat iudicio magis acrem, & inſtitutione melius paratum. Quæ fuit cauſa, cur identidem nonnulla ſis offenſurus ſupra captum, & ſupra indolem puerorum. Ars hoc fecit ipſa per ſe ſe, non ſolum imbecillitas præcipientis. vt ſemper pluſculum eſt in vtendo, quam fuerat in diſcendo difficultatis. Vale.

Introductionis
AD ARTEM RHETORICAM,
LIBER II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Conſilium Auctoris, & tranſitio ad rhetoricam Orationem. Cap. I.

SVPERIORE libro, perſpicue ac breuiter complexi ſumus,quae ad artem diſcendam pertinent: nunc reſtant, quę ad vtendam. Ideſt docere habemus modum rationemq;Orationis contexendę, in ſingulis generibus Cauſarũ. Et ſi enim Rhetorica generalis ars eſt, vt antea docuimus,& praęcepta continet,quę non ſolum ad publicas cõciones,ſed etiã ad priuata colloquia,& ad omnem loquendi atq;ſcribendi vſum conferunt:tamen cũ Oratio rhetorica, ſuis diſtincta partibus, omne oratorium artificium, omneſq; dicendi colores admittere poſſit;de illa potiſſimum hic agere atq; pręcipere inſtituimus. Sicut enim in re poëtica, qui tantummodo verſum exametrum & pentametrum a magiſtris cognouerit, reliqua carminum

genera facile diſcit ſua ſponte : ita ſtudioſis artium humaniorum, ſatis fore putauimus ad Rhetoricam in omnem vſum accommodandam, ſi tantummodo a nobis diſcerent, tenerentq; artificium componendę Orationis. Ordo autem hic erit pręcipiendi, vt primum generatim atq; communiter definiamus, partiamur, explicemus Orationem: deinde continẽter accedamus ad cauſas, & doceamus ſingillatim rationem laudandi, vituperandi; ſuadendi, diſſuadendi; accuſandi, defendendi.

De Oratione eiuſq; partibus. Caput II.

ORatio, ſiue Concio oratoria eſt ſermo perpetuus ad delectandum, ad docendum, ad permouendum artificioſe compoſitus. partes illius quatuor ſunt, Exordium, Narratio, Confirmatio, & Concluſio. Exordium eſt Orationis initiũ, quo auditoris animus conſtituitur & pręparatur ad audiendum. Narratio eſt rerum geſtarum, vel quaſi geſtarum explicatio, & quędam quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendę fidei. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeueratione, & contrariorum locorum diſſolutio. Concluſio eſt artificioſus terminus Orationis.

NOTAE.

CIcero in Partitionibus quatuor facit partes Orationis, Exordium, Narrationem, Confirmationẽ, Perorationem: Ariſt. item quatuor: ſed pro Narratione habet Propoſitionem, recte:

ſte : quia rarus eſt vſus Narrationis in omni genere. At Propoſitio, quamquam nulla eſt fere Oratio ſine illa, tamen non videtur inter praecipuas Orationis partes numeranda : potius particula quaedam eſt, quae vel in fine Exordij, vel in principio Confirmationis collocari ſolet : quandoq; etiam ipſius Exordij locum occupat, vt in priuatis conſultationibus, de quibus poſtea. Quod niſi eſſem veritus a Cicerone, Fabio, aliiſq; magnis Rhetoribus nimiũ recedere: tres duntaxat feciſſem partes Orationis, Exordium, Confirmationem, Concluſionem. Quæ partitio tribus illis Oratoris muneribus belle reſpondet. in Exordio .n. auditores ſibi beneuolos atq; amicos reddit delectãdo: in Cõfirmatione fidẽ illis facit docendo: in Concluſione cogit eoſdẽ ſibi parere permouendo. Exordiũ eſt quaſi proludiũ inſtantis pugnæ, quod prouocat áduerſarium, & Oratori fauorem conciliat ſpectãtium. Confirmatio argumentis, quaſi telis inſtructa, hoſtem lethaliter vulnerat repellitq;. demum Concluſio vi affectuum & impetu concitata, proſternit, iugulat, triumphat. Huius quoq; partitionis ſimilitudinem & imaginem in ipſis Cauſarum generibus inſpicere licet. quia genus demonſtratiuum delectat ornando, deliberatiuum docet diſputando, iudiciale mouet incitando. ſed hæc vberius ſuo loco.

De Exordio. Cap. III.

Exordiorum duo sũt genera, Principium & Inſinuatio. Principium eſt quod ſtatim apertis rationibus pręparat Auditores ad reliquam orationẽ audiendã. Inſinuatio eſt Oratio, quadã diſſimulatione & circuitione obſcure ſubiẽs Auditoris animum. Sed tã Principiũ, quã Inſinuatio ideo ſumitur, vt inter agẽdum, beneuolos, attẽtos, dociles habeamus auditores. quę tria licet per totam Orationem cuſtodienda ſint, & ſępius renouanda; tamen quia pręcipuus eorũ locus est in Exordiis; hic potiſsimum docere oportet, quę ſit ratio beneuolentię, attentionis, & docilitatis conciliandę.

De Beneuolentia, Attentione, Docilitate.
Cap. IV.

BEneuolentia facit, vt libenter audiamur; Attentio, vt diligenter; Docilitas, vt intelligenter. Conciliatur autem beneuolẽtia vel a Perſona, vel a Re. Perſona triplex eſt, Noſtra, Aduerſariorum, Auditorũ. Sed tam noſtra quam Aduerſariorũ, perſona duplex eſt, quia vtriq; ſuũ clientẽ adiũgimus, Actorẽ ſcilicet & Reum. A perſona noſtra beneuolentiam contrahemus, ſi noſtrum officium ſine arrogantia laudabimus, vel ſi cognatione, amicitia, publica vtilitate, aliaue quapiã honeſta cauſſa, nullo odio aut maleuolentia, aut ambitione, aut quęſtu nos ad dicendum adductos eſſe affirmabimus: Item ſi noſtrum ingenium & dicendi facultatem extenuabimus, vt magis cauſſę bonitati, ſtudioq; Auditorum, quam noſtrę eloquentię confidere videamur. A perſona Rei ſeu Clientis noſtri beneuolentiam captabimus his fere locis: Primum a Probitate, ſi eum Virum bonum & liberalem eſſe dicamus, indignum illa calamitate & miſeria, in quam illum non ſua culpa, ſed aliorum iniuria perfidiaq; coniecit: deinde ab eius infirmitate, inopia, ſolitudine, veluti ſi Senex fuerit, pupillus, cęcus, valetudinarius: vel ſi Femina, virgo, vidua, paupercula.

Ab Aduerſariorum perſona beneuolentiam cõciliabimus, ſi eos aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducentur, ſi quid eorum inhoneſte, ſuperbe, crude-

liter,malitioſe factum memorabitur.In inuidiam, ſi vis eorum, potentia, diuitię, gratia, cognatio proferetur, atq; eorum vſus arrogans & intolerabilis oſtendetur: vt his rebus magis videantur, quam cauſſę ſuę confidere. In contemptionem adducentur, ſi eorum Inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Sed cauendum eſt, ne vltra modum progrediamur, neue homines potius, quam eorum flagitia odiſſe videamur. Etiam aliquando Patronus Aduerſarii dabit exordium, ſi eius eloquentiam,ac gratiam Iudici ſuſpectam fecerimus.

A Iudicum vel auditorum perſona beneuolentiam captabimus, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtas proferemus,eoſq; citra adulationis ſuſpicionem laudabimus: Item ſi nos eorum vtilitati,exiſtimationi,& auctoritati ſtudere oſtēdemus. A rebus ipſis beneuolentia comparatur, ſi modeſte cauſam noſtram laudando extollimus, & aduerſariorum per contemptum deprimimus.

Attentos autem faciemus Auditores,ſi aut de magnis rebus,inuſitatis, incredibilibus,grauibus, atrocibus; aut de neceſſariis, vtilibus, & ad eos, qui audiunt, pertinentibus,nos dicturos eſſe pollicebimur. Saepe etiam comparatur Attentio, ſi rogemus Auditores, vt attente nos audiant. quod Cicero frequenter facit.Denique Docilitatem cōparabimus, ſi breuiter & dilucide ſummam rei, de qua dicturi ſumus, exponemus: Item ſi attentos fecerimus. nam is maxime docilis eſt, qui attentiſſime eſt paratus audire. Nunc vt intelligatur,

quando aut Principio, aut Inſinuatione vtendum ſit, Cauſę qualitas, & natura cognoſcenda eſt.

De Qualitatibus, ſeu Generibus Cauſarum. Cap. XV.

GEnera Cauſarum ſunt ſex, Honeſtum, Turpe, Dubium, Admirabile, Humile, Obſcurum. Honeſtum cauſę genus eſt, cũ aut id defendimus, quod ab omnibus defendendũ videtur; aut id oppugnamus, quod ab omnibus uidetur oppugnari debere, ut Pro viro forti contra Parricidam. Turpe genus cauſſę eſt, cum honeſta res oppugnatur, aut defenditur turpis, ut ſi laudes ignorantiã, aut vituperes ſtudia litterarum. quod interdum exercitationis cauſſa fieri ſolet. Dubium genus eſt, cum habet in ſe Cauſa honeſtatis & turpitudinis partem, veluti ſi quis Patrem furti accuſatum defendat, vel amici cauſam ſuſcipiat aduerſus fratrem, aut cognatum ſuum. Admirabile ſeu diſſentaneum dicitur id, quod eſt prȩter opinionem Auditorum, uel a quo eorũ animus videtur eſſe alienior, vt ſi Fortitudinem laudes apud ignauos, lenitatem apud crudeles, liberalitatem apud ſordidos atque auaros. Humile genus eſt, cum vilis & contempta res affertur, vt Encomium luti, Muſcę laudes apud Lucianum, & Diſputatio de Rep. formicarum. Obſcurum genus eſt, cum difficilis res agitur, & ab hominum intelligentia longe remota, vt ſi quis de Ventorum cauſis, de Tonitruis, de Fulminibus verba faceret.

Quodnam genus Cauſæ vel Principium, vel Inſinuationem requirat. Caput. VI.

SI genus Cauſę honeſtum fuerit, cum ei ſua ſpō te Auditores aſſentiantur, poſſumus aliquando exordium prȩterire, & vel a Narratione, vel a Partitione, vel ab ipſa Confirmatione initium dicendi facere, maxime ſi cauſa breuis eſt, & paucu lis verbis abſolui poteſt: vt ſunt fere conciones Hiſtoricorum, & Poëtarum. Sin Exordio vti libebit; Principio vtemur, & vel ab honeſtate ipſius rei, vel ab excuſatione officii noſtri beneuolētiam comparabimus, vt id quod eſt honeſtatis, augeatur. In Dubio cauſę genere parabitur eodem modo beneuolentia, vt ea pars, quę turpitudinem habet, diluatur, & tota cauſſa in genus honeſtum trā ſlata videatur. In Humili cauſsę genere ad tollendam rei contemptionem, faciemus attentum Auditorem, in Obſcuro docilem. at in Turpi vel Admirabili, ſi non omnino infeſti Auditores erunt, Principio beneuolentiam comparare licebit: ſin erunt vehementer abalienati, confugere neceſſe erit ad Inſinuationem. NAM ab iratis, ſi perſpicue pax & beneuolentia petitur, non modo ea non inuenitur, ſed augetur & inflammatur odium. Nūc Inſinuationes quemadmodum tractari conueniat, aperiemus.

De Inſinuatione. Cap. VII.

INſinuatione vtendum eſt, quotieſcunque animus Auditoris infeſtus eſt, atq; abhorret ab au-

diendo

diendo. Id autem tribus ex cauſſis fieri ſolet; primo ſi res ipſa, de qua agimus, turpis videtur: ſecundo ſi Auditores fuerint ante capti, & perſuaſi ab Aduerſariis: tertio deniq; ſi defeſſi erunt eos audiendo, qui ante nos dixerunt. Atq; hęc tria tempora diligenter animaduertenda ſunt. Si cauſę turpitudo infeſtum reddet Auditorem: aut pro Homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponere oportet; aut pro Re, in qua offenditur, aliam rem, quę probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem, vt ab eo quod odit, ad id quod diligit, Auditoris animus traducatur. Pręterea vtile eſt diſſimulare te id eſſe defenſurũ, quod exiſtimeris defẽſurus. dicemus ne nobis quidem placere, quę facta dicantur ab Aduerſariis, & eſſe ſcilicet indigna atq; nefaria. quin etiam facti atrocitatem, & turpitudinem amplificabimus; deinde vbi iam mitior factus erit Auditor, pedetentim ingrediemur in defenſionem, & nihil ſimile a nobis factum eſſe oſtendemus. Iuuat etiam ſi neges, te quicquam de Aduerſariis eſſe dicturum, neque hoc, neq; illud: vt neq; aperte lędas eos, qui diliguntur; & tamen id obſcure faciens, quoad poſſis, alienes ab eis Auditorum, & Iudicum voluntates.

Si perſuaſus Auditor fuerit; aut ab aliquo Aduerſarii dicto exordiemur, & ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione vtemur, quid potiſſimum dicamus, aut cui loco primum reſpondeamus cum admiratione; aut etiam intrepido animo pollicebimur, nos primum de eo eſſe

dicturos

dicturos, quod Aduerſarius firmiſsimum ſibi adiumentum putauerit. Nam Auditor, ſi eum, quem Aduerſarii perturbatum putãt ſua oratione, videt animo firmiſsimo cõtra dicere paratum; plerumq; ſe potius temere aſſenſiſſe, quam illum ſine cauſa confidere arbitratur.

Sin Auditores defeſsi erunt audiendo; commodum eſt polliceri, te breuius quam cogitaueras, eſſe dicturum: item ſi res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere, quę aut ex tempore nata ſit, aut iam parata; quę vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat lepidam & iocoſam narrationem. Quod ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem; aliquid triſte, nouum, horribile ſtatim non incommodum eſt iniicere. Nam vt cibi ſatietas & faſtidium, aut ſubamara aliqua re leuatur, aut dulci mitigatur: ſic animus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur.

NOTAE.

Exempla omnium Inſinuationũ, ſi minus docta & erudita; (quod hic quidem non magnopere requirendum videtur) ſaltem perſpicua, & ad præſentem rationem valde accommodata, leguntur in veteribus commentariys ad lib. 1. artis Rhetoricæ ad Herennium.

De Vitijs Exordij. Cap. VIII.

AD hęc quędam notantur Exordii vitia vel grauiora, vel frequentiora, quę diligenter ca

uēda ſunt. Primum, ne nimis longum fiat, ſed Orationi tamquam corpori caput, proportione reſpōdeat. Alterum, ne ſit Vulgare, quod ad plures cauſas poſſit accommodari. Tertium, ne ſit Cōmune vel commutabile, quod paucis duntaxat mutatis verbis, etiā ab Aduerſario poſſit vſurpari. Quartum, ne apparatum ſit & ſplendidum nimis, & verbis inuſitatis, aut inſolentibus compoſitum. Quinctum, ne ſit contra pręcepta, veluti ſi docilitatem conciliet, cum eſt opus beneuolentia, vel attentione. Sextum denique, ſi nec beneuolos, nec attentos, nec dociles facit Auditores. Optima vero & probatiſſima exordia ſunt, quę ex ipſa cauſa velut nata videntur, & a propoſito non aliena. Commēdantur etiam in primis verecunda & modeſta, reprehenduntur tumida & inflata.

De Narratione. Caput IX.

NArratio duplex eſt; vna ipſius cauſę, cui locus eſt poſt Exordium; altera rerū ad Cauſam pertinentium, quę vbiq; poteſt incidere; ideoq; certum in Oratione locum non habet. Sed pręcepta vtriuſque ex eiſdem locis petenda ſunt. Tres autem res conuenit habere Narrationem, vt breuis, vt dilucida, vt probabilis ſit. Breuis erit, ſi rem non altius, quam vnde erit neceſſe, repetamus, neque longius quam oportet, ſermonem producamus; ſi nihil extra cauſam afferamus; deniq; ſi sūmatim, non particulatim narremus. Dilucida erit ſiue perſpicua & plana, ſi verbis propriis & vſitatis, ſi temporum ordine conſeruato, ſi nihil

contorte

ontorte, nihil perturbate, nihil ambigue dicatur. robabilis erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis a quę narrabuntur, conſentient: ſi cuiuſque facti euenti cauſa ponetur: ſi teſtata & comperta di- i videbuntur. Deniq; ſi erunt omnia ad opinio- em eorum, qui audiunt, accommodata. Et hęc uidem in Narratione neceſſaria ſunt; ſed ad or- andum aſſumimus etiam ſuauitatem. Eſt autem iauis Narratio, quę habet Admirationes, expe- tationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus nimorum, colloquia perſonarũ, dolores, iracun- ias, metus, lętitias, cupiditates.

NOTAE.

VTiliſſima ſunt pręcepta Narrationis, magis adeo ad quoti- dianos ſermones, & quarumcumque rerum, aut hiſtoria um commemorationes, quam ad rhetoricas Orationes conficiẽ- is. nam in cauſis demõſtratiuis nulla occurrit ꝑpria Narratio, ſi velis ipſam Confirmationem appellare Narrationem, in ia laudes exponuntur amplificando & ornando: in cauſis ve- deliberatiuis, quæ poteſt eſſe propria Narratio, cum de futu- r deliberemus? Narratio vero ſit expoſitio pręteritorum? Re- int Iudicia, in quibus ſæpe narrare conuenit, & tamen in his oq; interdum Narratio deſideratur. vide Fabium lib 4. cap. 2

De Confirmatione. Caput X.

TOTA ſpes vincendi, ratioque perſuadendi po- ſita eſt in Confirmatione, ad quam ceterę rationis partes referũtur. Huius officia duo sũt. um & probare noſtra volumus, & redarguere cõ aria. Vtrumque conſequimur argumentis, ię quibus ex locis Oratori petenda ſint, infra oſten

oſtenditur, vbi de ſingulis Orationum generibus diſputatur. Argumentum eſt probabile inuentum ad faciendam fidem; vel eſt Oratio, quę per rem notam probat ignotam, vt ſi dubitetur, An Vlyſſes Aiacem interfecerit, hoc quod ignotum eſt, probabo per alia quędam nota, hoc modo: Vlyſſes Aiacem oderat, eique pluribus locis mortem denunciauerat: pręterea iuxta cadauer inuentus eſt, gladium cruentum in manu habens, & interrogatus erubuit, titubauit, & perplexe reſpondit; deniq; tantum non confeſſus eſt: ergo Vlyſſes Aiacē interfecit. Sed omne argumentum aut ex certis, aut ex probabilibus conſtat: certa ſunt ea omnia, quibus aduerſarius non contradicit, vt Deum eſſe colendum, Honorandos Parentes, Tutandam Patriam; & deniq; omnia quę legibus, aut moribus conſtituta ſunt. At Probabilium triplex eſt genus, vnum firmiſsimum, quod fere accidit, vt Liberos amari a Parentibus: alterum propenſius, vt Eum, qui hodie valeat, in craſtinum eſſe victurum: Tertium dumtaxat non repugnans, vt Furtum ab eo factum eſſe, qui domi fuerit. Et quoniam argumenta tam certa, quam probabilia, variis modis tractantur ab Oratore: res poſtulat, vt de Argumentatione, eiuſq; formis aliquid pręcipiamus.

De Argumentatione. Cap. XI.

Argumentatio eſt argumenti explicatio, vel artificioſa expolitio. cuius formę numerantur decem, Syllogiſmus, Enthymemā, Inductio, Exemplum

plum : & hę quidem tam Dialecticis, quam Oratoribus communes ſunt : Ceterę magis proprię ſunt Oratorum, & rarius a Dialecticis vſurpantur, Dilemma, Inuerſio, Sorytes, Enumeratio, Comparatio, & Inductio oratoria. de quibus ſingulis, quantum ratio Introductionis fert, facile ac breuiter diſſeremus.

De Syllogiſmo, & Entymemate. Caput XII.

Syllogiſmus, qui diciturOratorius, fere conſtat ex quinque partibus, Propoſitione, Ratione, Aſſumptione, Approbatione, Complexione. primũ enim neceſſe eſt proponere aliquid generatim, ex quo omnis vis emanet ratiocinationis; deinde hoc ipſum ratione munire; tertio ex vi Propoſitionis aſſumere id, quod velis oſtendere; tum id quoque adductis rationibus comprobare; postremo Complexionem inducere, & rem concludere ad hunc modum. eſto hęc Propoſitio : Omnes Artes & diſciplinę liberales expetendę ſunt. Ratio : quia illę optimis inſtitutis animum informant, & perficiunt hominem, qui alioqui a Brutis animantibus non multum differret. Aſſumptio : At Rhetorica eſt vna artium liberalium. Approbatio : non enim manuum miniſterio, ſed ingenii viribus exercetur, & in omni libero populo ſemper floruit, ſemperq; dominata eſt. Complexio : Ergo Rhetorica eſt expetenda. Sed hęc multo vberius, atque ſplendidius tractantur ab Oratore. Quod ſi Propoſitio, aut Aſſumptio, aut vtręq; tam certę ac perſpicuę

fuerint,

fuerint, vt probatione non egeant; fiet Argumentatio quadripertita vel tripertita; nimirū dempta Ratione, atque Approbatione, hoc modo: Omne vitium eſt fugiendum, Auaritia eſt magnum vitium, Ergo magnopere fugienda eſt. Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus, nēpe a quo abeſt Propoſitio, vel Aſſumptio. vt Omnis Virtus eſt laudabilis: Igitur Fortitudo eſt laudabilis. vel Fortitudo eſt Virtus: Igitur eſt laudabilis. hic Propoſitio, illic Aſumptio deſideratur.

N O T AE.

Enthymema proprie dicitur a Rhetoribus, quod ex contrarijs propoſitionibus conſtat: vt ſi fugienda eſt Auaritia, ſequitur vt expetenda ſit Liberalitas. Si ueniam meretur qui imprudens læſit, ergo ei qui imprudens profuit, haberi gratiam non oportet. Horat.

Quem res plus nimio delectauere ſecundæ,
Mutatæ quatient.

Cic. quid? cum fateamur ſatis magnā vim eſſe in vitijs ad miſeram vitā, nonne fatendū eſt, eandē vim virtuti eſſe ad beatam vitā? Contrariorum enim contraria ſunt conſequentia. Verum hæc, more iam in ſcholis recepto, non ſimpliciter Enthymemata, ſed cum adiunctione, A contrarijs, nuncupantur.

De Inductione, & Exemplo. Caput XIII.

INductio eſt congeries multorum ſingularium, ad probandum aliquid vniuerſe, ſiue communiter: ut Piſiſtratus Tyrannus infelicem exitum habuit, Item Phalaris, Dionyſius, Nero, Caligula, & alii plurimi. Ergo omnes Tyranni infelicem exitum metuere debent. Exemplum eſt Inductio imperfecta

perfecta, nẽpe in qua ex vno, aut paucis ſingularibus aliquid vniuerſe concluditur, vt Dion quia hieme nauigare voluit, naufragium fecit: Ergo hieme nauigandum non eſt. & Sextus Pompeius impar viribus, facile oppreſſus eſt ab Auguſto, item Lepidus, & Antonius: Ergo cum potentioribus pugnandum non eſt. Expoſitę ſunt quatuor argumentandi formę, quibus omne argumentum explicari poteſt: nam quę deinceps ſequentur, genere eaedem ſunt, tractatione differunt.

NOTAE.

QVAE duæ formę argumentationis hoc capite continentur, contrariæ ſunt duabus ſuperioribus. nam in ſyllogiſmo & Enthymemate progredimur ab vniuerſalibus ad ſingularia, ſiue minus communia: ſiquidẽ Propoſitio fere ſemper latiſſime patet, Aſſumptio minus late, Complexio in anguſtum redigitur: hic autem contra ex rebus certis et ſingularibus, inducitur concluſio generalis atque communis.

De Dilemmate, & Inuerſione. Cap. XIV.

DILEMMA eſt Argumentatio ex duobus membris repugnantibus conſtituta, quorum vtrumuis conceſſeris, reprehenditur. Cicero patriam cum Catilina ſic loquentem inducit: Diſcede, atq; hunc mihi timorem eripe: ſi verus, ne opprimar, ſin falſus, vt tandem aliquando timere deſinam. Cur ego illum puniam? ſi probus eſt, imprudens fecit, & meret veniam: ſin improbus, nõ emendabitur. Longiore oratione vti non debeo:

nam ſiue placui, iſta ſatis ſunt, quę diſſerui; ſiue diſplicui, plus ſatis. Dictum eſt autem Dilemma, quod vtrinque feriat aduerſarium: Cicero Complexionem vocat: alii Syllogiſmum cornutum: ſic enim argumentationis quaſi cornua in eo diſponuntur, vt qui alterũ effugerit, in alterũ incurrat.

Inuerſio eſt argumentatio in aduerſarium retorta: vt Falſo de me quereris, quaſi te oderim, quia verbero: odiſſem potius, ſi non verberarem, & te luxu corrumpi ſinerem.

NOTAE.

INuerſio valet maxime ad ea Dilemmata refellenda, quę conſtant ex propoſitionibus aut falſis, aut ſaltem nõ neceſſariis: vt Si quis probare contendat, fruſtra eſſe Introductionẽ rhetoricam, quia pueri ingenioſi antiquos Rhetores audire poſſint; hebetes vero ne hunc quidem ſatis poſſint: per Inuerſionem retorqueri poteſt Argumentum hoc modo, Immo vtilis eſt Introductio, ſiue ingenioſis, ſiue tardis; hi nãq; hanc rationem percipiẽt, quia facilior eſt, illi antiquos melius intelligent, ab hac adiuti. Aliam rationem refellendi hæc Dilemmata, quę Antiſtropha ſeu reciproca dicuntur, leges apud Aul. Gellium lib. v. cap. 10. *&* 11.

De Soryte & Enumeratione. Cap. XV.

SOrytes eſt coaceruatio propoſitionum, quibus veluti gradibus ad concluſionem deſcenditur hoc modo, Intemperantia parit animi & corporis aegritudines, Aegritudo vitiat atq; corrumpit ingenium, Ingenia vitiata non ſunt idonea ad ſpeculandum; Ergo intemperantes ad magnarum rerum ſcientiam peruenire non poſſunt. Item, Gręcia

cia vniuerſa regebatur ab Athenieſibus, Athenienſes a Themiſtocle, Themiſtocles ab Vxore, Vxor a filio; Ergo ab vno puero tota Grecia regebatur. In hac argumentatione neceſſe eſt attributum ſeu predicatum, vt vocant, prime propoſitionis fieri ſubiectum ſecunde, & ita deinceps, quouſque perueniatur ad Complexionem, in qua ſubiectum prime iungi debet cum predicato extremae propoſitionis. Hoc argumentum recentiores vocant, A primo ad vltimum, & eſt perſimile Gradationi, niſi quod illa ad ornandum, hoc vero ad probandum aſſumitur; ideoq; in Gradatione concluſio deſideratur, in Soryte ſubiungitur neceſſario.

Enumeratio duobus modis conficitur, primo expoſitis, atq; infirmatis omnibus partibus, aliquid necesſario excluditur: vt Non Senator es, non Eques, nō Plebs; Ergo Ciuis Romanus eſſe nō potes. Item Rhetorica nō eſt Prudentia, non Iuſtitia, non Temperantia, non Fortitudo; Ergo non eſt Virtus. Deinde ſecundo modo reliquis partibus infirmatis, vna neceſſario concluditur: vt Quod Furtum domi meæ factum eſt, id oportet vel a te, vel a Lucio, vel a Paulo eſſe factū, quia praeter vos tres nemo domi fuit. At mihi cōpertum eſt, neq; Lucium, neq; Paulum feciſſe; Sequitur vt tu feceris. Hanc argumentationem vulgus vocat, A ſufficienti partium enumeratione.

De Comparatione & Oratoria Inductione. Cap. XVI.

FEre nulla eſt cauſſa, vel publica, vel priuata, quae non admittat aliquam comparationem;

 ideoq;

ideoq; hic modus argumentandi, etiam ab imperitis ſæpiſſime vſurpatur. Tractatur autem Cõparatio tribus modis, A maiori, A minori, A pari. A maiori argumentatio vocatur, cũ perſona ſiue res maior probationẽ præſtat, minor concluditur: vt Qui parentes violauit, multo magis cognatos atq; amicos violabit: & Qui Sacrilegium fecit; furtum faciet multo magis. Contra A minori dicitur argumentatio, cũ perſona ſiue res minor probationem praeſtat, maior concluditur. Cicero, Mortẽ, quam etiam Virgines Athenienſes pro patria cõtempſiſſe dicuntur, ego vir conſularis timerem? ideſt, contemnerem multo magis. & Ouid.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua;
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore maius habet.

Item Horat. ——————— *nam cur*
Quae laedunt oculos, feſtinas demere: ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?

Deniq; A pari formatur argumentatio, quoties paria inter ſe conferuntur: vt, Licuit Catoni ſequi bellum ciuile; Ergo licebit etiam Ciceroni. Si vxor viro fidem praeſtare debet; Ergo etiam vxori vir debet. Huic tertio generi ſimillima eſt Inductio, quæ dicitur oratoria, ſiue Socratica, in qua ex multis exemplis paribus, concluditur aliquid ſingulare: Cic. ſi Tutor fidem praeſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaueris, ſi qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Atq; haec de Argumentatione, formiſque eius dicta ſufficiant, quae

tam

tam ad confirmandum, quam ad refellendum valent. Nunc extremam Orationis partem abſoluamus.

NOTAE.

Comparatio non tantum in locis argumentorum, ſed etiam in formis argumentationis numeranda eſt: quandoquidẽ quid eſt aliud Comparatio, quam ſyllogiſmus per quandam collationem enunciatus? ad quem facile reuocari poteſt hoc modo, Quanto quæque res nobilior ac præſtantior eſt, tanto diligentius curari debet: Animus multo nobilior eſt, quam corpus: ergo diligentius excolendus atque curandus eſt. Hoc etiam in reliquis argumentandi formis fieri poteſt. Exempla ſubijcere neceſſe non eſt. Interpres ipſe pro captu diſcipulorum ſuorũ conuertet, referetque ſingulas formas ad ſyllogiſmum. Inductio Oratoria ſæpe adhibetur per interrogationem fere hunc in modum. Quod eſt pomum generoſiſſimum? nonne quod optimum? qui nam equus generoſiſſimus? nonne qui optimus? & domus, veſtes, prædia nonne nobiliſſima ſunt, quæ ſunt optima? certe. Ergo etiam homo nobiliſſimus haberi debet, non qui claris maioribus ortus eſt, ſed qui virtute, & probitate ceteris præſtat. Quæ argumentandi forma ideo Socratica dicitur, quod ea Socrates plurimum vtebatur. Sed hæc ſubtilius, atq; acutius diſputantur a Dialecticis: ex quorum fontibus hoſce paucos, vt ita dicam, riuos deduximus, ad irriganda & præparanda ingenia Iuniorum, cetera deinceps commodiore loco, & opportuniore tempore apud Ariſtotelem aut Ciceronem explicaturi. Si quis autem hæc atq; alia, quæcumque veteres aut recentiores de arte dicendi prẹceperunt, vnum in locũ congeſta, & facili nouoq; ordine tractata cognoſcere velit: ei auctor fuerim, vt legat Ludouicum Carbonẽ, virum multa eaq; recondita litterarum varietate ornatum, Prẹceptorem olim meum, cuius de Rhetorica vniuerſa libri tres & viginti verſantur in manibus eruditorum.

De Peroratione Caput XVII.

PEroratio ſiue Concluſio, quam Græci Epilogũ nominant, fere duas habet partes, Enumerationem & Conqueſtionem. Enumeratio eſt breuis potiſſimorum argumẽtorum repetitio, qua redeat in memoriam Auditor, quid per totam Orationem dictum ſit; totamque ſummatim cauſſam recognoſcat. Sed ea adhibenda nõ eſt, niſi cũ Orator diffidit memoriae Auditorum, aut cũ ea, quæ dixit, longiora vel impeditiora fuerunt. Hic tamẽ cauendum eſt, ne ſingulae particulae repetantur, ſed ſumma rerum capita breuiter perſtringantur: praeterea variis dicendi formis diſtinguatur, atq; ornetur Oratio: nihil enim eſt odioſius illa nuda, & ſimplici repetitione, quae vel Oratoris ieiunitatẽ, vel inanem memoriae oſtentationem declarat.

De Conqueſtione. Cap. XVIII.

COnqueſtio, quam alii Commiſerationem, alii Indignationem, vel Amplificationem nominant, eſt per quam Auditores ad amorem, ad irã, ad miſericordiam, & ad quemuis animi motum acriter impelluntur. Quo in genere cũ multa præcipi poſſint: nos paucis admonitionibus contenti erimus. Primo in promptu ſint illae verborum ac ſententiarum exornationes, quae ad mouendum, atque ad amplificandũ valent, de quibus libro ſuperiore ſatis diſputatum eſt. Deinde affectus ani-

mi per totam Orationem commoueantur; ſed in Exordio lenes ac placidi, in Narratione breues & rari, in Confirmatione tum acriores, tum etiam crebriores, pro magnitudine rerũ de quibus agitur: modo vnum memineris non mouendos eſſe affectus, niſi vbi rem aliquam vel probaueris, vel infirmaueris. locus vero maxime ꝓprius affectuũ mouendorum, eſt Peroratio, in quam Orator omnem vim ſuam effundere debet; precari, obteſtari, lacrymari, mortuos etiam, ſi res exigat, excitare, terrere, obiurgare, denique totis ingenii viribus ad victoriam contendere. Pręterea neceſſe eſt, vt Orator eo motu afficiatur, quo alios affici velit: bene enim Horatius si vis me flere, dolendum eſt Primum ipſi tibi. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quę niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendã vim Orationis parata, quę poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſeris. In primis vero accedat pronunciatio non frigida, neque languida, ſed incenſa & lacertoſa, quę rebus quaſi vitam tribuere videtur. quod is facile pręſtare poterit, qui rem penitus animo conceptam habeat, & Clientis perſonam ita ſuſceperit, vt ſe ſuam cauſſam agere exiſtimet, non alienam. poſtremo in Concluſionibus illud maxime ſeruandum pręcipitur, vt breues fiant, ne vel inflammatus Iudex refrigeſcat, vel miſeratione iã motus, alio ſe mente & cogitatione conuertat. Nihil enim lacryma citius areſcit, pręſertim in alienis malis.

De Generibus Cauſarum ſiue Orationum. Cap. XIX.

OMNES materię, in quibus verſari Orator poteſt, redactę ſunt a veteribus ad tria genera ſeu capita, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. Genus Demonſtratiuum eſt, quo laudamus vel vituperamus. Deliberatiuum, quo ſuademus vel diſſuademus. Iudiciale, quo vel defendimus vel accuſamns. Sed in vnoquoq; genere tria ſpectanda ſunt, Tempus, Finis, Motus: per quę alterũ ab altero facile diſtinguitur. In Genere Demõſtratiuo habetur ratio pręsẽtis temporis aut prętериti: eius finis eſt Honeſtas: mouendi ſunt Auditores, vel ad virtutis admirationem, vel ad vitii deteſtationem. In Deliberatiuo ſpectatur tantũmodo tempus futurum: finis eſt Vtilitas: mouẽdi ſunt Conſultores ad ſpem, aut reformidationem. In Iudiciali ſpectatur maxime tẽpus prętеritum: finis eſt Aequitas: mouendus eſt Iudex, vel ad clementiam, vel ad ſeuitiam. Nunc vnumquodq; genus per ſe breuiter & perſpicue declarabimus, & locos cuiusq; generis proprios indicabimus, vnde Oratori argumenta ad laudationes, ad conſultationes, & ad iudicia ſuppeditantur.

NOTAE.

HÆC Cicero et Quinctilianus vocant Genera Cauſarum: Ariſtoteles Genera Orationum rhetoricarum. quod nomen mihi commodius videtur cum alias ob cauſas, tum maxime ad fugiendam ambiguitatem. quia Genera cauſarum, ex ſententia omnium Rhetorum, dicuntur proprie ſex illę cauſarum Qualitates, de quibus ſupra egimus in Exordio, Honeſtum, Turpe, Dubium, Admirabile, Humi le, Obſcurum.

De

De Genere Demonſtratiuo. Cap. XX.

GENVS Demonſtratiuum ex eo nominatū eſt, quod quale ſit aliquid demonſtrat, vel laudādo, vel vituperādo, vel narrādo, uel docendo. Ad hoc genus pertinent Gratiarū actio, Expoſitio hiſtorica; Gratulatio, Lamētatio, Cōmemoratio beneficiorū, Exꝓbratio, Inuectiua, & ſi quę ſunt alia generis eiusdē. Laudantur autem, vel uituperantur dūtaxat hęc tria, Perſonę Facta Res. Perſonæ ut Cęſar, Hannibal, Helena, Lucretia: Facta ut factum Horatii Coclitis, aut Mutii Scęuolę: Res, vt cetera omnia, quę neque perſonę ſunt, neque facta, vt Eloquenntia, Iuſciuile, Pax, Bellum, Agri, Vrbes, Flumina &c.

De Laudatione Perſonarum Cap. XXI.

IN hominibus ſiue viuis, ſiue mortuis laudandis, hunc fere in modum diſponetur, ac conſtituetur Oratio. Exordia in hoc genere liberiora ſunt, quam in Deliberatiuo, & Iudiciali: ſępe autem ab aliquo ducuntur affectu, velut a querela, a gratulatione: Item a ſtudio, & officio, a rei magnitudine, aut virium noſtrarum extenuatione; per quę beneuolos, attentos, dociles facimus Auditores. Narratio nulla ſolet incidere, niſi priuatarū actionum, quę occurrunt inter laudandum. In eius locum ſępe ſuccedit Propoſitio, ſiue Partitio: per quas oſtendimus, quot, & quibus de rebus, & quo

ordine

ordine dicendum ſit. Confirmatio eſt veluti quędã perpetua Narratio, in qua non argumentis contẽditur, ſed laudes exponuntur per Amplificationẽ. Concluſio leniores affectus continet: quibus Auditores vel in admirationem rapimus, vel ad imitationem hortamur, vel gratulamur, vel conſolamur. Loci autem ex quibus petuntur laudes, hi ſunt fere, quos infra ordine recenſuimus.

Vnde Hominum laudes petantur. *Cap. XXII.*

PErſonę tripliciter laudantur, primo ab iis, quę vitam anteceſſerũt; deinde ab iis, quę viuẽtibus contigerunt; poſtremo ab iis, quę poſt mortem ſunt conſecuta. Quę vitam atq; ortum hominis anteueniunt, hęc ſunt, Natio, patria, parẽtes, maiores: quorum & nobilitati reſpondiſſe, & ignobilitatem illuſtraſſe pulchrum eſt; dedecori fuiſſe, turpe. qua occaſione proferendę ſunt res a maioribus fortiter ac pręclare geſtę, item ſigna & prodigia, ſi qua eius natalem anteceſſerunt. Quę in vita eueniunt, hęc ſunt, Nomen, bona animi, bona corporis & fortunę, quę magnam ac prope infinitam laudum copiam ſuppeditare poſſunt. In Pueritia potiſſimum habetur ratio educationis, in qua ſpectatur ingenium puerile, indoles, docilitas, inſtitutio, cura Parentum & Praeceptorum: nam bene honeſteque educatum eſſe laudabile eſt; incurioſe ac negligenter, non honeſtum. In Adoleſcẽtia ſpectantur mores, & laudatur ſtudium virtutis

ac ſapientiae:hic dicendum eſt quomodo vitā egerit,apud quos vixerit,quibus vſus Preceptoribus, quibus ęqualibus,quibus ſtudiis,quibus artibus delectatus. In Iuuentute atq;aetate maturiore cōmemorantur,Vitae genus,cōdicio,fortuna;laudantur facta praeclare,prudenter,iuſte, fortiter,moderate;idq; tum publice,tū priuate. In Senectute Conſilium & pietas;item Conſtantia,religio & fiducia in morte obeunda.Poſtremo laudes ſumuntur ab iis, quae poſt mortem extiterunt:ea ſunt Honor, pompa funebris, fama, litterarum monumenta, ſtatuæ,aliaq; honoris inſignia. Vituperaturus omnia in contrarium torquebit,referetq; generis humilitatem, malam educationem, ſordes, ingluuiē, libidinem, ceteraque ſimilia, quae inuidiam atq; odium creant. Confutatio rarius incidit; ſi tamen occurret aliquid inter laudādum,quod reprehenſione dignum ſit, id vel defendendum erit, vel excuſandum; vel ſi neutrum fieri poterit, ſilentio praetereundum.

Item de Perſonarum laudibus alia via colligendis. Cap. XXIII.

EST & illa vulgaris, & vſitata laudū partitio, quæ colligitur ex bonis Animi, Corporis, & Fortunæ.Bona animi sūt Indoles, & bonitas naturae, docilitas,celeritas ingenii,memoria,eruditio, probitas, pietas, humanitas, beneficentia, moderatio,prudentia, & denique omnes virtutes,& bonae artes: in quibus explicandis, aut aetatis, aut

rerum

rerum geſtarum ordinem ſequi conuenit. Sed eſt cauendum, ne longius ab hiſtorico rerum ordine recedamus. Corporis bona ſunt, Forma, valetudo, vires, velocitas. quae ſi cui contigerunt, magnum ceteris dotibus ornamentum afferunt. Fortunae bona dicuntur, quaecunque commoda, vel optabilia extra nos ſunt, vt Patria, genus, opes, honores, auctoritas, amicitiae, clientelae, liberi, propinqui, & quae ſunt generis eiuſdem. Sed ex his tribus, quae communi appellatione dicuntur bona, quanto quaeque interiora ſunt, & ad nobiliorem hominis partem ſpectant; tanto etiam laudabiliora habentur. itaq; merito primum laudis locum Animus occupat, alterum Corpus, tertium Fortuna. immo ſi potius rectam rationem, quam vulgi opinionem ſequamur, ſola animi bona verã merentur laudem: & ſolae animi ſordes verã vituperationem. nam diuitiae, vires, imperia, non ideo laudantur, aut vituperantur, quod habuerit quis ea, ſed quod iis bene, vel male vſus fuerit.

De laudatione factorum & Rerum. Cap. XXIV.

FACTA laudantur eodem modo: niſi quod Propoſitio fere per Comparationem adhibetur ad hunc modum. Inter omnia, quae poſt homines natos ad noſtram memoriam peruenerunt, fortiſſimum & clariſſimũ mihi eſſe videtur Horatii Coclitis inſigne facinus, de quo &c. Occurrit etiam aliquando Narratio, cum factum ipſum, de quo dicturi ſumus, ignoratur a populo. At in rerum

laudatione

laudatione frequenter exordium ab aliqua inſigni laude eius rei, de qua dicimus : quandoque etiam omiſſo diligentiore exordio, Propoſitio ipſa primũ in Oratione locum obtinet, & adhibetur per commendationem, ut Muretus Hiſtoriam Romanam laudaturus, ita Orationem exorſus eſt: Neq; pars vlla ſtudiorum humanitatis aut amoenior eſt, aut fructuoſior quã hiſtoria: neq; vllius gentis hiſtoria eſt, quę cũ hiſtoria populi R. aut magnitudine, aut pulchritudine, aut omnis generis exemplorũ copia & uarietate contendat: &c. Tum, ſi uidebitur, tota Oratio diſtribuetur in capita, & quo ordine propoſueris, eo perges exponere amplificando, atque ornando. Confirmatio rerum atq; factorum praeter locos laudandi, de quibus ſupra memorauimus, habet etiam locos rationeſque generis Deliberatiui, Honeſtum, Vtile, Neceſſarium. Oportet enim id quod laudandum ſuſcepimus, tale uideri, vt uel neceſſario faciendum fuerit, vel plurimum in ſe utilitatis, atque honeſtatis habere uideatur. Peroratio potiſſima repetit argumenta, & affectus ad praeſentem cauſſam accommodatos mouet. Vituperationem uero ex contrariis locis, ut ſupra docuimus, colligere facile eſt.

NOTAE.

His animaduerſis facile Loca *laudantur, Regiones, Flumina, Fontes, Vrbes, domus, agri, montes, aliaq; innumera: etiam beſtiae quędam, vt Leo, Equus, Aquila, Bombyces, Apes, Aranæ. Regiones laudantur ab antiquitate, & primis cultoribus, a Principibus, ab amplitudine, ſitu, amœnitate, aëris clementia ac ſalubritate, a fluminibus, lacubus, mari, vr-*

bium frequentia, celebritate, fertilitate ac frugibus; ab animalibus, a tuto itinere, a virtute bellica, humanitate, ſtudijs. Vrbes etiam laudantur ab Antiquitate, origine, conditoribus, ſitu, munitionibus; a Cœli temperie atque amoenitate, ab aquis, a domorum elegantia, vicorum multitudine & munditie, a variarum rerum copia, a Principibus, Reip. legibus & inſtituis, religione & ſcholis, a populi frequentia; ab ingenijs & ſtudijs, a fortitudine & vrbanitate. Flumina laudantur ab ortu, ſcaturigine copioſa, velocitate, colore, a piſcium generibus & multitudine, ab alijs fluuijs quos recipiunt, a locis quæ alluunt, a nauium frequentia, & alijs commoditatibus. Domus laudantur ab amplitudine, figura, materia, a ſitu et proſpectu, ab horto, a puteo, uel fonticulo, ab atrio, penetralibus, cubiculis. In agrorum commendatione ſpectari ſolent hæc, Amoenitas loci, fertilitas et ubertas frugum et fructuum, uarietas pomorum, arborũ, et herbarum genera, cultura, prædia. Montes laudantur a magnitudine, a radicibus, miraculis et prodigijs, a rebus memorabilibus a fontibus, a frugum ubertate & copia. Quæ omnia ex Ariſt. Cicerone, Quinctiliano diligenter collegit, atque in hunc ordinem diſpoſuit Cornelius Valerius Vltraiectinus.

De Genere Deliberatiuo. Cap. XV.

IN cõſilio dando, vt ſupra ſcripſimus, omnia ad vtilitatẽ referenda ſunt, quae tamen ab honeſtate ſeiungi non debet. Huc pertinẽt Hortationes, admonitiones, conſolationes, commendationes, promiſſiones, petitiones. In hoc genere ita propemodum conficietur Oratio. Semper aliquo exordio vtendum eſt, modeſto tamen, ac breui. nam neque arrogans, neque abrupta placere poteſt Deliberatio. Sumitur autem exordium maxime ab officio perſonae, vt Orator dicat, ſe nullo odio, ſtudio & affectu; ſed caritate, officio, & alia

quapiam

piam honeſta ratione accedere, tam ad ſuadendum, quam etiam diſſuadendum. Maxime autē probantur exordia, quae vel ab aliqua inſigni vtilitate, vel ab vrgenti neceſſitate ducta ſunt, qualia frequenter legimus in Hiſtoriis. Narrationem priuata deliberatio non admodum requirit: habet enim ſatis cognitam ſuam cauſſam is, cui conſilium de priuatis negotiis damus. At in publicis deliberationibus, praeſertim paullo grauioribus, Narratio fere ſemper occurret, cum docere oporteat multitudinem, quid illud ſit, ex quo noſtra deliberatio naſcitur, vt in Oratione pro lege Manilia, narrat Cicero, bellum geri cum potentiſſimis Regibus, vnde naſcebatur conſultatio de Imperatore diligendo. Propoſitio nunquā plane omitti poteſt: ea fere per Amplificationem efferenda eſt hoc pacto, vt ſi Pacem ſuaſuri paucis proponamus, Nos de Pace humanae ſocietatis conſeruatrice conſilium eſſe daturos. Partitio rerum ordinem, de quibus dicturi ſumus, oſtendit; ea quoque in ſuadendo prodeſt plurimum. Confirmatio ſex potiſſimum habet locos, ex quibus argumenta petuntur ad omnem cauſſam deliberandam; ii ſunt Honeſtum, Vtile, Iucundum, Poſſibile, Facile, Neceſſarium. quorum vnumquodque quid valeat, videamus.

De Locis vnde argumenta petuntur ad Suadendum & Diſſuadendum Cap. XXVI.

HOneſtū dicitur, quod ſua ui & natura laudabile eſt, propterq; ſe expetendū. hoc omnes virtutes

virtutes diſciplinaſque complectitur, atque omne quod ſacris aut profanis legibus continetur: praeterea quicquid ad retinendam exiſtimationē, aut fugiendam infamiae ſuſpicionem attinet. Vtile dicitur, quod non propter ſe, ſed propter fructum & commodum expetitur. Vtilia primo ſunt ea quę ad uitam tuendam, & ad ſalutis conſeruationem ſpectant: proxima quae ad augendam rē familiarem. ſunt etiam vtilia quaedam cum honeſto coniuncta, vt Gloria, Dignitas, Amicitia, & quae ſunt ſimilia. Ad Vtile Tutum refertur; quod poſitum eſt in tuenda ſine pericolo incolumitate ſua & ſuorum. Iucudum eſt quod honeſta quadam voluptate, aut animum, aut corpus, aut vtrumq; delectat. Poſſibile eſt quod fieri vel eſſe natura poteſt: vt contra, id quod non poteſt, Impoſſibile. Facile dicitur, quod nullo, vel non magno labore, ſumptu, moleſtia, quam breuiſſimo tempore fieri poteſt. In quo ſpectantur haec attributa, ſeu circumſtantiae, Tempus, Locus, Occaſio, Modus, Inſtrumentum, & alia huiuſmodi, quae ſi abſint; id quod dicimus, facile ad efficiendum non videbitur. Contrarium huic Diffiicile, quod magno quidem labore, ſpatio, ſumptu, moleſtia, ſed effici tamen poteſt. Neceſſarium duplex eſt, alterum abſolutum, quod in conſulationem non cadit, vt Moriendum ſit nec ne: alterum cum condicione. quod a Fabio, itemque a Tullio in Partitionibus oratoriis ad vtilitatem refertur, vt Neceſſitas nō ſit aliud, quam vtilitas neceſſaria, ſine qua ſalui, liberi, honeſti eſſe non poſſumus: vt ſi dicas, Ne-

ceſſarium

ceſſarium eſſe dedere Vrbem,niſi fame perire maliſ:item Liberare ſocios, defendere fines, ſi dignitatem retinere, ſi officium tueri, ſi vitam ſeruare volumus. verum ex his quaedam recte ad Honeſtum referri poſſunt.

Quæ maxime in Deliberationibus ſpectanda ſint. Cap. XXVII.

IN ſuadendo potiſſimũ exaggerandae ſunt Vtilitas, & Facilitas. Incommoda vero, & quae difficilia videbuntur,extenuanda. Sed deliberationem nihil magis vrget, quam Neceſſarium.exẽplo ſit illa hortatio Catilinæ ad Cõiuratos.Vobis, inquit, eſt domi inopia, foris aes alienum, mala res, ſpes multo aſperior; denique quid reliqui habemus praeter miſeram animam? quin igitur expergiſcimini? praeterea exẽplis maxime hoc genus Orationis eſt illuſtrandum. nã futura e praeteritis certius colliguntur, & ſucceſſu alienae fortunae audientium animi vel demittuntur, vel eriguntur. Suadet Fabius Maximus in Senatu, ne P. Scipio in Africam traiiciat. Dies, inquit,me deficiat,ſi Reges Imperatoreſq;temere in hoſtiũ terrã trãſgreſſos cũ maximis cladibus ſuis, exercituũq; ſuorũ enumerare velim.Deinde vetus affert Atheníenſium exemplũ, qui claſſe in Siciliã tranſmiſſa, Remp. ſuam in perpetuum afflixerunt: & nouum M. Attilii, qui in ea ipſa Africa, annis ante quadraginta in praelio victus & captus eſt. Iam Dehortationes ex contrariis locis facile colliguntur,

Turpi, pernicioſo, moleſto, difficili, periculoſo, impoſſibili. Atque haec de Confirmationis locis innuiſſe ſufficiat. Peroratione colligenda ſunt argumenta potiora & firmiora, tum mouendae animi affectiones, in Senatu leniores, in Cōcione acriores vehementioreſque. aliter enim cum imperita multitudine, aliter cũ prudenti Cōcilio agẽdũ eſt.

De Genere Iudiciali. Cap. XXVIII.

AD Genus Iudiciale pertinent Accuſationes, Defẽſiones, Delationes, Expoſtulationes, Inuectiuę, Apologiae, Expurgationes, Obteſtationes. quorũ omniũ finis eſt Aequitas. Partes Orationis in hoc genere omnes adhibentur. In Exordio beneuolentiam cōciliabimus, aut a noſtro officio, aut ab eius, pro quo dicimus, commiſeratione, aut ab Aduerſarii, qui periculum innocenti faceſſat, inuidia ſiue odio; aut deniq; a perſona Iudicum, aut Principis, aut Imperatoris, eorum res ante geſtas, aut decretas aut iudicatas extollendo. Attentio magnitudinem grauitatemque cauſſae commemorat: Docilitas perſpicuitatem & breuitatem pollicetur. Narratio rem geſtam ita exponit, vt multas hinc inde ſuſpiciones, tamquam ſemina argumentorum interſpergat. Ea ſaepius adiunctã habet Partionem, quae dicendi ordinem, & capita Orationis complectitur. Confirmationis loci pro ſtatuum varietate ſunt diuerſi. Concluſio firmiſſimas rationes repetit, & Iudicem omni ratione ad eas animi affectiones, quas cauſſa poſtulat, impellere.

impellere contendit. Cetera, quae in ſingulis Orationis partibus ſeruanda ſunt, ex iis quae ſuprà diximus, repetantur. nos ad ſtatum & cōſtitutionem cauſſae tranſeamus.

Qui & Quot ſint ſtatus. Cap. XXIX.

STatus eſt Quaeſtio illa praecipua, quae cauſſam continet, & quo, tamquam ad ſcopum, omnis noſtra Oratio referenda eſt. ea non ſolum in genere Iudiciali, quamquam hic maxime, ſed etiam in laudationibus, & deliberationibus locum habet: & tam in meditandis noſtris, quam in explicandis aliorum Orationibus ſemper inueſtigāda eſt. Naſcitur autem ſtatus ex intentione Accuſatoris, & depulſione Deféſoris, hoc modo, Craſſe coniuraſti cum Catilina: Non coniuraui inquit: Quaeſtio eſt, vtrum cōiurauerit nec ne. hunc Rhetores ſtatum ſeu cōſtitutionem appellant, quia eſt veluti fundamentum Orationis, in quo cauſſa tota conſiſtit. Quoniam vero tria ſunt, quae in omni diſputatione quaeri poſſunt; An ſit, Quid ſit, Quale ſit: tres etiam ſunt ſtatus, Coniecturalis, Definitiuus, Iuridicialis, in ſtatu Coniecturali quaeritur, An aliquid factum ſit nec ne; vt, An Pompeius Regnum affectauerit: in Definitiuo, quid ſit id, quod eſt factum, & quo nomine appellari debeat: vt, Fuerit ne Iulius Caeſar Rex, an Tyrannus, an Dictator; In Iuridiciali, quale ſit id, quod arguitur, & iure ne an iniuria factū eſſe videatur: vt, An Cicero recte fecerit, qui coniuratos, indi-

cta cauſſa necari iuſſit. in primo Coniectura valet, in altero Definitio, in tertio Ius & ratio.

De Statu Coniecturali & eius locis. Cap. XXX.

STatus Coniecturalis eſt, cum factum negatur, ideoq; a nonnullis etiam Inficialis appellatur. Eius loci duo ſunt, Voluntas & Facultas. Oportet enim cum accuſamus probare, id quod arguimus, Reum voluiſſe & potuiſſe facere: contra ſi defendimus, noluiſſe, ac ſi maxime vellet, non potuiſſe. Voluntas continet Impulſionem, Ratiocinationem, Signum, & Perſonarum attributa. Impulſio complectitur omnes animi perturbationes, Iram, Odium, Inuidiam, Amorem, ſpem perficiēdi, ſpem celandi, & quaecumque homines ad aliquid faciendum impellunt. In Ratiocinatione ſpectantur haec duo, Adeptio bonorum, vt Honoris, voluptatis, vtilitatis: & malorum Euitatio, vt Damni, doloris, infamiae. Signa tria ſunt, Antecedentia, Comitantia, Conſequentia. Quae factum antecedunt, exempli cauſſa in homicidio, haec fere ſunt; Iniuriae, Contumeliae, Inimicitię: quę comitantur, Strepitus, clamor, armorum ſonitus: Quę conſequuntur, Veſtis cruentatio, metus, tremor, & plura talia. Perſonarum attributa ſunt, Natio, Patria, Educatio, Vitę genus, & cetera quę ſuperius expoſita ſunt in genere Demonſtratiuo: & hęc de Voluntate. Facultas vero ſpectatur ex adiunctis ei rei, de qua dicimus, circumſtantiis, Loco, tēpore, occaſione, commoditate.

De

De Circumſtantijs. Cap. XXXI.

SEd Vſus Circumſtantiarũ latiſſime patet, quia non ſolum ad probandum, ſed etiam ad amplificandum, & permouendum conferunt. hę potiſſimum numerantur ſeptem

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo & Quando.

Exempli cauſſa, quis? Catilina ciuis Romanus, & ampliſſimo genere natus. Quid? Atrox facinus, Remp. funditus euertere moliebatur, & clariſſimos atq; optimos viros trucidare. Vbi? Romę, in foro, in Curia, in Senatu. Quibus auxiliis? collecta perditorum iuuenum manu, & pręterea barbaris infeſtiſq; nationibus ad conſilii ſocietatem euocatis. Cur? ad ſe diuitiis locupletandum; ad Tyrannidem occupandam, explendamq; animi ſui turpem libidinem. Quomodo? diſpoſitis hinc inde ſicaris, deſcriptiſq; totius Vrbis partibus ad incẽdia. Quando? quo tempore Reſp. aliis bellis erat implicata, & bonis ciuibus vt cum maxime indigebat. Atq; hos omnes locos qui diligenter animaduerterit, numquam probationum, aut amplificationum inopia laborabit.

De Statu Definitiuo Cap. XXXII.

SEquitur Coniecturã Definitio: nã qui factũ negare non poteſt, proximum eſt, vt neget eſſe id, quod obiicitur ab aduerſarijs, ſed aliud leuius & infirmius, quod ꝑ ipſius rei definitionẽ oſtẽdendũ

eſt : vt Quidam deprehenſus eſt, cum rem profanam ex loco ſacro ſurriperet : accuſatur Sacrilegii : ille ita ſe defendit, vt fateatur ſe abſtuliſſe, neque tamen ſacrilegium feciſſe, ſed furtum : ideoq; non recuſet, quominus quadrupulum ſoluat, vt fures iubentur ex lege; non autem exilio, aut morte mulctetur, quę poena ſacrilegis eſt conſtituta. Quo loco tam Accuſatori, quam Defenſori videndum eſt, quid ſit furtum, quid ſacrilegium, & vtrique ſua Definitio argumentis munienda, & verborum ac ſententiarum figuris amplificanda.

De Statu Iuridiciali. *Cap.* XXXIII.

STatus Iuridicialis eſt, cum factum eſſe conſtat, ſed quale ſit, & iure ne, an iniuria factum ſit, quęritur. Vnde etiã ſtatus Qualitatis appellatur; vt, Si quis fateatur a ſe hominem eſſe occiſum, ſed iure; nimirum quia Inſidiator, quia Fur, quia Proditor, & ſuę patrię pernicioſus atq; funeſtus foret. Hęc Conſtitutio duplex eſt, Abſoluta & Aſſumptiua : Abſoluta eſt, cum probamus aliquid iure eſſe factum, nihil foris, aut extra cauſsã aſſumentes; ſed aut ex natura rei, aut ex lege, aut ex pacto: Ex natura, vt ſi Pater filium, Magiſter diſcipulum, Pręfectus puerum ſibi creditum verberauerit : Ex lege, vt ſi quis exſulem interemerit, quem ex edicto Principis liceret occidi : Ex pacto, vt ſi cui promiſeris te certam pecuniam eſſe daturum, ſi tibi in aliqua re operam dederit; Homo nauata opera pecuniam ex pacto repetat. Aſſumptiua Quęſtio dicitur, cum aliunde ſumimus argumentũ

ad probandum, vt ſi accuſetur Milo, quod Clodiũ interfécerit, non poteſt ſe tueri, nec iuſte factum defendere:niſi foris aſſumat aliquid,quod rei æquitatem declaret: Ille,inquit,mihi inſidias fecit, & mortem denũciauit;ergo iure hominem interfeci.

De Partibus Quæſtionis Aſſumptiuæ.Cap. XXXIIII.

QVęſtionis Aſſumptiuę partes ſunt octo, Infiſciatio,ideſt pręciſa facti negatio,in qua accuſatorē redire cogimus ad coniecturās, & probare eſſe factum id, quod ille aſſumpſerat tamquã certum. Extenuatio, cum conamur culpam facere leuiorem ex definitione, vt Homicidium feci; non Parricidium. quo modo a quęſtione Iuridiciali ad Definitiuam retrahitur aduerſarius. Remotio criminis, cum culpa vel in fortunam reiicitur,vel ad alium quempiam transfertur, vt Non ſcripſi occupationibus, aut valetudine impeditus; Non veni ad conſtitutam diem, quia Fluuium repentinis auctum imbribus, traiicere non potui; Feci, ſed non mea ſponte, Conſul iuſſit, aut Prętor, aut Senatus. Reiectio ſiue tranſlatio actionis,temporis, loci, aut iudicis; vt Fateor me debere,ſed tibi non competit actio; Debeo, ſed non hoc tempore, non hoc in loco,non ſub hoc Iudice. Comparatio, cum de duobus malis minus eligitur,vt Malui hominem occidere, quam pudicitiam amittere. Caſus ſiue imprudentia, vt Intorſi ſagittam in feram, & hominem ibi latentem interemi. Vis ſiue neceſſitas, vt Vrbem hoſtibus dedidi, ſed fame vrgente, vel militibus obſtinate pręlium detrectan-

tibus. Denique Deprecatio, cum facti venia petitur, quę non venit in iudicium, ſed apud Imperatorem, aut Principem ſępe tractatur: ideoque illius cauſſę diligenter inueſtigandę ſunt.

De Cauſſis Deprecationis. Cap. XXXV.

INnumerabiles poſſunt eſſe cauſſę, quamobrem confitenti Reo, & ſuplicium deprecanti ignoſcendum eſſe videatur. Sed maxime vſitatæ atq; communes videntur ſeptem, ad quas reliquę referuntur. Prima, Si Rei plura, aut maiora beneficia, quam maleficia conſtare videbuntur: Secũda, Si qua virtus ſingularis, aut nobilitas in ſuplice erit: Tertia, Si qua ſpes oſtendatur, eum aliquãdo vſui futurum: Quarta, ſi Reus ipſe modeſtus, temperatus ac miſericors in poteſtatibus probetur fuiſſe: Quincta, Si non odio neque crudelitate, ſed officio & ſtudio aliquo commotus, vel ab alio deprauatus, deliquerit: Sexta, Si tali de cauſſa aliis quoque ante fuerit ignotum: Septima, Si nihil periculi eo dimiſſo relinqui videatur, nulla deniq; reprehẽſio, vel ſuſpicio mali poſſit exiſtere. Dictio ſiue figura dicendi cuiuſq; generis propria eſt; Demoſtratiui, exculta & copioſa; Deliberatiui, grauis & prudẽs, Iudicialis vehemens; & cõcitata.

Quo pacto genus Orationis inueſtigandum ſit. Caput. XXXVI.

RARA eſt Oratio, quę tota in vno genere cõſumatur: ſed plerę q: ex pluribus mixtę ſunt,

nam

nam & in iudiciis laudamus, & in deliberationibus accuſamus,& in ipſis laudationibus ſaepe occurrit aliquid,quod aut redarguendum,aut defendendum ſit.ſed ad genus cuiuſque Cauſſae proprium dignoſcendum,neceſſe eſt animaduertere,quinam ſit ſcopus, atq; conſilium vltimum Oratoris, ad quod cetera referuntur . nam finis eſt, qui Orationi genus & nomen tribuit . Exempli cauſſa,Ciceronis Oratio pro lege Manilia , quamquam in Pompeii laudibus fere tota verſatur ; tamen quia controuerſia eſt de Imperatore deligendo , & Pōpeius ideo laudatur , vt iudicetur idoneus ad id bellum adminiſtrandum; Oratio eſt generis Deliberatiui.Sic quae Archiam defendit ab eorum calumniis,qui eum Ciuem Romanum eſſe negabant, Iudicialis eſt , licet tam multa de Poeticae laudibus interiecta contineat . Deniq; illa, qua Caeſari gratias agit pro reſtituto Marcello, ad Demonſtratiuum genus referenda eſt , quamquam inter agendum redarguit ea , quae Caeſar obiecerat de ſuo periculo . quae particula per ſe ſumpta , non eſt dubiū , quin ad genus Iudiciale referri debeat. Verum haec aliaque his ſimilia , quae ad Artis naturam penitus cognoſcendam pertinent, vel obſcuriora ſunt , quam quae a pueris ſine Doctore percipi poſſint; vel clariora, quam quae ipſis Doctoribus praecipi debeant.

M. ANTONII BONCIARII

Ad Petrum Senſium I. V. C.

Epiſtola.

In qua exponitur, quo conſilio nobilibus pueris, qui apud nos erudiuntur in nouo Collegio S. Bernardi, conſcripta ſit Introductio in Artem Rhetoricam.

LEGIT mihi Senſus Sẽſius frater tuus, auditor meus, particulam litterarum tuarum: in qua multa mihi tribuens, vnum reprehendebas, quod nõ aliquãdo emergerẽ ex hiſce ſtudiis puerilibus, in quibus nimium diu verſari videor; & darem aliquid, vnde pluſculum extimationis & famae ſperare liceat. Quid vero, inquis, attinuit in tanta Rhetorum multitudine & copia, tum veterum tum recentium, de Rhetorica librum ſcribere? Agnoſco, Sẽſi, veterem beneuolentiam erga me tuam: ex qua certum habeo venire iſtam mei monendi libertatem. cui quantum tribuam, cognoſce ex hoc, quod & ſi cum tuas litteras legi, libellus noſter, paulo ante datus Typographis, prope ſub praelo erat: tamen eouſque ſuſtineo editionem, dum a te aliquid ad has litteras reſcribatur. & faciam ſcilicet, quid-

quid

quid tu mihi auctor fueris. Nunc, vt reliqua omittam, audi quale fuerit meū conſiliū de libello Artis Rhetoricae cōſcribendo. Ego, Senſi, fui sēper in ea opinione, vt artes & diſciplinæ liberales haud aliūde, quā a veteribus illis magnis Magiſtris petē dę forēt. Itaq; quicūq; hodie Rhetoricas & Dialecticas arbitratu ſuo cōcinnant, eaſq; relicto Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano, ſuis auditoribus explicandas putant; haud dicā equidem nihil illos prodeſſe (ſunt enim ex Neotericis, qui de vtraque facultate ſatis bona praecepta dant) verum hoc dico, potuiſſe illud tempus cum fructu multo vberiore, in antiquorum ſcriptis collocari. Quod cum ita perſpicuum ſit apud homines eruditos, vt merito rideatur, ſi quis rem planiſſimam argumentis probare cōtendat: nequeo mirari ſatis, quare tam multi noſtra memoria in illis artibus refingendis, & alia quadam via docendis ſint occupati. Dicet aliquis, Ecquem tu igitur in hoc genere noſtratibus hominibus relictum putas ſcribendi locum? Sane ego prae mea tenuitate neminem contemno, & eum laudo, ſi quem ferat noſtra aetas ingenio excellenti, qui etiam artes conſcribat, & non ſolum de Grammatica, Rhetorica, Dialectica; ſed etiam de maioribus diſciplinis nouo modo praecepta tradat; ſi forte faciliorem praecipiendi rationem habeat, quam illi veteres habuere. Sed neſcio quo fato fieri videmus, vt qui omniū conſenſu ad eam rem aptiſſimi iudicantur, ab iſto genere ſcribendi multum abhorreant: credo, quia fas non putant, ab ipſis fontibus ad ſuos riuulos

reuocare curioſam iuuentutem, & vnde ipſi hauſerunt, indidem alios etiam haurire patiuntur. Quod ſi quis non alios diſciplinarum fontes aperire conetur, quod fortaſſis ne fieri quidem poteſt; ſed ad illos ipſos, quos maxime Ariſtoteles & Cicero aperuerunt, quoquo modo iter expediat, & planum faciat: ei vero gratias agendas cenſeo, quod melius mereri de ſtudioſis iuuenibus videatur, dum illos in ſcholas veterum Praeceptorum quaſi manu prehenſos ducit, iiſq; ſolida & vbere doctrina imbuendos tradit, quam ſi in noſtros, Deus bone! quanto inferiores, humilioreſq; conuentus aut ludulos introduceret.

Nunc vt ad me veniã Senſi, haud ego quidẽ ſcriboArtẽ Rhetoricam, quam in Scholis loco veterũ ſcriptorũ exponi velim: quippe qui, vt ſupra ſcripſi, praeter Ariſtotelem, & Marcum Tulliũ, ne de veteribus quidem quemquam ita amo; vt eum meis auditoribus explicandum putem: ne me cẽſeas, aut Caeſario, aut Saſſo, aut Chirio (ne de me loquar, qui nulla re cum illis ſum conferendus) tantum tribuere, vt quae ad ornate dicendũ pertinent, ea malim ab iſtis diſcere, quam a Veteribus, vnde ipſi ſcilicet didicere. non ego igitur ſcribo nouam Rhetoricam, ne erres, non; ſed tironibus pueris viam munio, & aditum patefacio ad illos vberes perenneſq; tum dicendi, tum ſcribendi, fontes Antiquorum. Videlicet non Artem, ſed Introductionem ad Artem ſcribo. At ne hac quidẽ, inquies, Introductione opus fuit: cum Veteres nihil omiſerint, quod ad docendam artem

ſpectare

ſpectare videatur. Auſculta paucis, & cognoſce rationem conſilii mei.

Natura cóparatū eſſe intelligimus, vt omnes artes & diſciplinæ, quibus animus informatur atq; perficitur, plurimū habeant difficultatis, atq; laboris in perdiſcēdo ex quo factū eſt, vt magna ingenia multum ſudarint in facili aliqua, & recta methodo excogitanda, quam qui eſſent ingreſſi, ad aliquam humanarum & diuinarum rerum ſcentiā peruenire poſſent. neque illud eſt dubium, fuiſſe quoddam tempus, cum & primo in Graecia, & longo poſt tempore in Italia, floruere maxima, ac prope diuina ingenia, quae res antea difficillimas, & magnis tenebris circumfuſas, quaſi praelata face illuſtrarunt, & confuſam illam multitudinem, atque congeriem rerum, quibus humana mens alitur, ad certum ordinem rationemq; praeceptionum redegerunt. Verum hoc quidem ad grauiores artes ſcientiaſq; adipiſcendas, haud omnino fuit ſatis. quamquam enim ſuo quaeq; loco diſpoſitae, & admirabili quodam ordine diſtributae atque diſtinctae artes ſunt: tamen difficiliore atque impeditiore loco ſitae eſſe videtur, quā quo tenue noſtrum ingenium, haudquaquam cum illorum acumine comparandum, aſpirare, atque eniti queat: niſi tamen aliquo modo ſubleuetur; & in illud quaſi Sacrarium doctrinarum ab Aedituo quopiam introducatur. Non longe abieris: Ius ciuile veſtrum, quod alioqui laborioſum magis, quā difficile putatur; tamen ſine illis Imperatoriis Inſtitutionibus, quas Iuſtinianus confecit, poſſe per-

cipi non videtur. Ius etiam Pontificium,quod ante noſtram memoriam caruit ea commoditate,nõ minus facete,quam vere comparabat Io Paullus Lancelottus eleganti ac ſuperbo Palatio, quod multis aedibus diſtinctum atque ornatum eſſet; praeterea omnis generis ſupellectili inſtructum & decoratum; ſed fores aut ianuas non haberet,qua eſſet aditus introire cupientibus. itaque aperuit ille fores eiuſmodi, per quas noſtri aeui homines magno agmine ingrediuntur, & abdita penetralia huius facultatis non magno negotio perſcrutantur. Nam quid dicam de Dialectica? de qua cum magnus Ariſtoteles diligentiſſime optimeq; praeceperit: tamen cum illa obſcurior videretur, adiecit primo Porphyrius libellum ſuum (vt ita dixerim) introductorium: qui continuo tantam ſibi auctoritatẽ, atq; aſſenſum hominum comparauit,vt doctis approbantibus,in familiam Ariſtotelicã exceptus & cooptatus cum illis viuat.qui tamen quoniam dũtaxat vocabula quaedã explicat, neq;artis vniuerſæ formã,& quaſi Ideã complectitur;iccirco alii alio tẽpore, & ꝓxime P. Frãciſcus Toletus,nunc S. R. E. Cardinalis,Introductionem illius artis, haud ſcio breuiorem ne,an faciliorem commodioremq; conſcripſit. cuius mirificam vtilitatem nos etiam Petre, ſenſimus, cum in noſtra aetate tenuiore,poſt puerilis doctrinæ ſtudia,animum ad Philoſophos adieciſſemus.Deniq;vt paucis concludam, nulla eſt ars, neque doctrina paulo grauior,praeſertim ex iis,quibus in adoleſcẽtia ſtudendũ eſt, quæ nõ aliqua huiuſmodi præparatio

ne-;

ne, informatione, Introductione egere videatur.

Quod ſi quis exiſtimat, Artem Rhetoricam non venire in hunc numerum, & eſſe ſcilicet faciliorem ad conſequendum,quam vt tali praeſidio, vel adminiculo munienda ſit: longe fallitur mea quidem ſententia.Neque eſt hic locus de Artis Rhetoricae difficultate diſſerendi. Illud certe conſtat inter homines eruditiſſimos, non fere eſſe aliam diſciplinam,quae tantum ingenii ad res excogitandas, tantum iudicii ad diſponendas, tantũ artis ad ornandas atque amplificandas deſideret. Quæ quam non facilia ſint, Oratorum paucitas declarat, quorum penuria nunc vt cum maxime laboramus. Ergo non eſt dubium, quin primo ad artem ſua ſponte difficilem atque impeditam, deinde vero ad ſcriptores, qui de illa ſubtiliter & varie praeceperunt, intelligendos iudicandoſq; opus ſit iſagogica quadam Inſtitutione. Fuit itaque meum conſilium,Petre Senſi, vt ſtudioſos Artis Rhetoricæ conſequendæ,primis iiſq; potiſſimis praeceptionibus ante imbuerem; tum via facili & expedita deducerem ad ſcripta veterum Magiſtrorum, ſiue ab aliis audienda, ſiue ab iis ipſis ſuo marte interpretanda.Volui ſcilicet adumbrare Artem Rhetoricam, eiuſq; Imaginem, rudem illam quidem, ſed tamen plenam, ſuiſq; omnibus membris conflatam, proponere ad intuendum: vt poſtea Tullianis quaſi colobribus,ac ſi libeat,etiã Ariſtotelicis pigmentis, exornaretur atque illuſtraretur.Sum enim expertus, haud omnino commode,neque cum magno fructu tractari antiquos

Rhetores a iunioribus, niſi primo paulatim hoc fere modo inſtituantur, & præparentur ad laborem nouum. iuuat autem incredibiliter eos, qui artem aliquam auſpicari velint, ſi totam ante a principio vſque ad calcem luſtrauerint: ac quaſi animo comprehenſam atq; dimenſam habuerint eam viam, qua ſibi poſtea minoribus itineribus ambulandum ſit: alioqui ſi non ante explorato itinere in viam ſe dederint; neque cum magna alacritate progredi poſſunt, neque offerentia ſeſe incõmoda ſatis ferre imparati inopinãteſq;. Quod quamquam ſpero omnibus planum ac perſpicuũ debere eſſe: tamen non tantopere affirmarem, niſi periculum feciſſem in his ipſis auditoribus, qui triennio ante ſe ad noſtram diſciplinam contulerunt: ex quibus cum aliquot vno tempore ad Ius ciuile audiendum tranſierint, in his etiam Iacobus, & Senſus fratres tui, qui te duce atque auſpice maiores artes ingreſſi ſunt; non dubito, quin progreſſus & eruditio liberalium adoloſcentium huic meo conſilio multum roboris, atque momenti ſit allatura.

Probaui, opinor, eſſe opus Introductione tironibus pueris, qui a re Grammatica tranſituri ſunt ad Rhetoricam: quo quidem adminiculo qui non ſunt vſi ſuperioribus annis in Vrbe noſtra: ſcimus haud ita multum in ſtudio ornãdę orationis profeciſſe. quorum ego querelis non ſemel interfui, cum dicerent, ſibi admodum pueris, Cicerones, aut Ariſtoteles, aut ijs nihilo faciliores aliquos de noſtratibus eſſe propoſitos ad diſcendum; quorum

rum ipſi vix milleſimam partem intelligerent. Vnus omnino ſcrupulus tibi reſtat, Senſi, qui mihi euellendus eſt. cetera tenes perpulchre:mihiq; vt arbitror, libenter aſſentis. Erat in illa epiſtola, quam frater ad me attulit, mentio ſane honorifica de Cypriano Soario Societatis Ieſu. Cuius Rhetoricam non me præterit, in tanto pretio eſſe apud litteratiſſimos viros,vt ei ſine controuerſia palmam tribuant inter omnes, qui poſt Ciceronem & Quinctilianum in illo ſtudio laborarũt. quin etiam proxime audiui eſſe nonnullos,qui bonos atq; vberes commentarios ad illum libellum ſcribere moliantur. cum tu fortaſſe ſatis eſſe opinaris ad pueros in iſtam artem introducẽdos: potuiſſe me,ſi vellem, hoc labore ſuperſedere,& Cyprianum,vti antea conſueueram in Seminario,ita nunc in nouo Collegio explicare. Cui difficultati etſi ſatisfeciſſe videri debeo in epiſtola ad Antiſtitem, quam huic opuſculo pręfigendam curaui:tamen tu quoq;hoc tibi reſponſum habe.Ego quãti faciam Cyprianum,quantumq; ei tribuam;poſſem ſane oſtendere pluribus argumentis: ſed non neceſſe eſt: pręſertim apud te, quem ſcio de hoc Rhetore tam bene exiſtimare, motum præcipue prędicatione ac teſtimonio meo. Illud igitur ſatis eſto, ad meam de Cypriano ſententiam declarandam, quod de tam multis Rhetoribus noſtri temporis vnum illum non modo frequenter tracto, ſed etiam publice in ſcholis explico. quin ſoleo palam ita de eo prædicare, cum lego Cyprianum,non me arbitrari operam dare alicui recẽti,

ac nouo Rhetori : eſſe in Cypriano , per quæ illũ inter veteres numerandum putem : & vide cauſam . In præcipiendo haud ille quidẽ de ſuo quidquam affert : ſed quod in procemio ipſo ſui libelli teſtatur, omnem doctrinam rationemq; præcipiẽdi accepit a tribus illis , quos ſupra memoraui , magnis Magiſtris , Ariſtotele , Cicerone , Quinctiliano . a quibus non tantum præceptiones atq; exempla plurima, ſed etiam aliquando totas periodos , atque integra capita in ſuum libellum tranſtulit . Neque propterea furtum facere , & alienam laudem ſibi vindicare dicendus eſt : quoniam quidem hoc illi maxime fuit propoſitum,vt artem optime atq; elegantiſsime traditam a veteribus , ſed pluribus , ijſq; longis voluminibus explicatam , in anguſtum redigeret , & quidquid eximium in illis tribus inueniſſet , in vnum cogeret;& quantum res pateretur,verba etiam,ipſaſq; omnes loquendi formulas vſurparet;deniq; a quibus ordinẽ ac methodũ docẽdi ſumpſerat, eorum etiã oratione plurimũ vteretur. Porro ille maiorẽ alienę vtilitatis, quã ſuę cuiuſdã inanis gloriæ rationẽ ſibi habendã eſſe exiſtimauit . ideoq; nõ ſuũ illud opuſculũ,ſed quaſi cõmune triũ Veterũ videri voluit,quẽadmodum inſcriptio ipſa ſatis declarat.

Quæ quidem cum ita ſint,liquido apparet, tantum abeſſe , vt Cyprianus Introductionem confecerit , aut omnino conficere voluerit ; vt etiam ad illum ipſum intelligendum aliqua introductione opus eſſe videatur : niſi ſi quis ita exiſtimat , quæ in M.Tullio ſubobſcura & difficilia videntur

eſſe

eſſe, ea poſtquam a Soario totidem pene verbis tranſlata ſunt, continuo plana,facilia atque illuſtria eſſe facta. quod nemo ſanus,opinor, dixerit.Manet enim, mihi crede, manet in Cypriano, niſi prouectis admodũ adoleſcentibus explicetur, quibus eſſe aptiſſimũ ſemper duxi,primum ea difficultas, quã ex ſe ars habet; deinde alia,quã eius ratio atq; ordo docendi affert, vt mihi quidẽ videtur, minime puerilis.Ecce nãq; in ipſo artis limine,cũ ab Inuentione prima,& difficillima parte Rhetorices initiũ docendi faciat, ſedecim ipſos locos argumẽtorum,ideſt totam Artem Dialecticã,ante ipſi puero cognoſcẽdam proponit. Neq; nunc diſputo, pertineat ne Topica ad rhetoricam Inuentionẽ,aut quatenus pertineat: Illud ſummatim dico atq; confirmo,ad libellũ de ArteRhetorica, qui vtiq; tironibus pueris exponendus ſit, nõ vniuerſam Topicen, quæ & ampliſsima eſt, & multis difficultatibus implicata, mihi trasferendam fuiſſe; ſed eouſque attingendam atque delibandam, dum ei, quem inſtituere cogitamus,quædam quaſi ſilua argumentorum ſuppeditaretur,ad res cõmunes atq;in medio poſitas vel cõfirmãdas, vel refellẽdas: nec id quidẽ dialectica ratione & modo,ſed via facili & naturali arbitror fieri debuiſſe, itaq; feci,aut certe facere ſum conatus.

Nam quo modo, Deus bone, qui nunc primũ prodijt ex Grammaticis, percipere poterit, non dico illas tam varias, tam diſsimiles, tam impeditas rationes argumentorum; ſed vocabula ipſa locorum dialecticorum? vt quæ ſint Genera, quæ

Species, quæ Differentiæ, Cauſæ, Effecta, Contraria; quid ſit Materia, quid Forma; quæ ſit ratio definiendi, diuidendi, ratiocinandi, & reliqua generis eiuſdem, de quibus integra volumina Veteres conſcripſerunt, & traduntur in ea facultate, quam Logicam appellamus. qua quidẽ ſi velis eſſe imbutos pueros, qui ad Rhetorem tranſeunt, non reprehendo; ſi doceas iſto modo Rhetoricã: etiam ſumme laudo & ꝓbo. tametſi neq; Scriptor ad Herenniũ, neq; Cicero, neque ipſe Ariſtoteles in præceptis tradendis de Arte Rhetorica, vllam fere iſtiuſmodi locorum mentionem faciunt. Cic. in Partitionibus tantummodo enumerat, non explicat; nempe quia vtiles illos Oratori eſſe putat, neceſſarios non putat: aut putat quidem, ſed cómodius eſſe ſtatuit, illos ſeorſum tradi; neq; duas diſciplinas, Topicã & Rhetoricã, aliã alia difficiliorẽ atq; ampliorẽ in vnũ confundere oportere. Itaq; idẽ Cic. cũ de Rhetorica multos libros edidiſſet, etiã de Topica librũ edidit, q nunc extat, ſeiũctus ab Oratorijs. quod etiã multo ante Ariſt. fecerat, qui Topicorũ libros octo cõpoſuit: nec vſquã miſcuit locos dialecticos cum Oratorijs. At Soarius mancam & deminutam dicit eſſe Artem Rhetoricam ſine Topicis. Quod etſi mihi quidem non videtur, & alios credo eſſe locos Dialecticos, alios Oratorios, nec vtroſq; eodem loco, aut eodem modo tractandos puto: tamen facile patior vnumquemque de eo ſentire, quod magis libet. vnum ego mihi credi poſtulo, quod didici pluribus experimentis, iſtam rationem dialecticæ In-

uentionis minus aptam eſſe ingenijs puerilibus; præſertim in illa prima ingreſsione, primoque, vt ita dicam, Veſtibulo Eloquentiæ. Atque audi obſecro, quam ego rationem inij ſuperioribus annis Rhetoricæ interpretandæ. Cum enim hanc, de qua dico, difficultatem deprehendiſſem, & a Cypriano nollem diſcedere; deinceps aliquot annis, non a primo, ſed a tertio libro initium exponendi faciebam, ac docui prius quænam eſſet ratio exornandæ atque amplificandæ orationis; quam quomodo res inuenire, atque diſponere oporteret. Quã docendi rationem, longe faciliorẽ cõmodiorẽq; in hac ipſa introductione mihi omnino retinendã putaui. Sed erat in hac librorũ pmutatione illud incõmodi, quod quæ tertio libro tradũtur demouẽdis affectibus, & de ratione amplificationis; ea quonia ex ãtedictis in prioribus libris pẽdebãt, ac ſibi inuicẽ reſpõdebãt, inuerſo librorũ ordine, nõ facile illa percipi neq; teneri poterant.

Quamobrem ita demum exiſtimaui, ſatius eſſe prælegere meis auditoribus, vel Scriptorem ad Herennium, vel Dialogum de partitione oratoria, vel Oratorem ad M. Brutum, vel Ariſtotelis tres libros ad Theodecten, vel ipſum denique Cyprianum, qui fere totus ex illis conſtat, modo præmitterem aliquam huiuſmodi Introductionẽ: qua præeunte, & aditum aperiente, & loca ſingula præmoſtrante, Pueri non plane hoſpites, in nouam diſciplinam reciperentur. Atque ita facio prorſus. Iam triennium eſt, cum ingreſſus ſum hanc viam docendi meos. neque me pænitet

(abſit verbo inuidia) quantum profecerim, atq; proficiam in dies. Sed ego fortaſſe nimis multa ad vnam particulam: certe plura, quam mihi initio fuerat conſtitutum. Quare finem faciam, ſi prius vnum adiunxero, quod ne hic quidem prętereundum fuit, ne quem ſua laude fraudarem. Ad hoc opuſculum concinnandum, præter Tullium & veteres, quos in primis ſequi decreui, fuerunt mihi maximo adiumento recentes duo Rhetores, Cornelius Valerius in tractanda Inuentione, Simon Verepæus in adornanda Elocutione. A quibus tamen quod diſſentiam in pleriſque, mirari non debes, cum aliud quiddam, vt ſupra ſcripſi, fuerit mihi propoſitum, quam illis fuit. Porro mihi dumtaxat cum pueris negotium eſt, aut cum grandibus etiam, ſed imperitis: illi vel iuuenes erudiunt, qui pluſculum in litteris profecerunt, vel ipſos etiam inſtituunt præceptores. Vale. Ego & ſuauiſſimi fratres tui, & tibi & Illuſtriſsimo Principi Cæſari Corneo, communi Domino & Patrono ſingulari, felicem ac fauſtum precamur annum, quem ingredimur. CIↃ. IↃ. XCVI.

M. ANT.

ORATIO DE NATVRA ET VSV RHETORICES,

Peruſiæ habita in Collegio S. Bernardi CIↃ IↃ C·

M. ANT. BONCIARIVS DICTABAT.

CVM biennio ante ab ijs, qui noſtra ſtudia moderantur, rectè ſapiẽterq; fuerit inſtitutũ, vt pręſens B. Bernardo dicatus dies ęſtiuis ferijs, & vacationibus finem imponeret, & hodie de ſtudijs repetendis Oratio publice haberetur: faciendum mihi putaui (Præſul Ampliſsime, Viri Auditores) vt quando vos incõcinnitas, & infantia dicendi mea delectare non poſſet; ex toto genere litterario tale mihi deligerem argumentum hodiernæ Orationis; vt ſuo ſplendore, præſtantia, nouitate veſtris ſeſe animis inſinuaret, tegeretq; claritudine ſua obſcuritatem meam. Id quod, Bernardo Præſide opem ferente, quem ſollicito intẽtoq; animo precatus ſum, vt mihi præſto eſſet deliberanti, ſane

videor haud mediocriter conſecutus. Vtinam vero tantum eſſet ad diſſerendum explicandumq; felicitatis: non vererer, ne tam nobilem, tamq; illuſtrem conſeſsum hominum lectiſſimorum, ſine aliqua voluptate dimitterem. Dicturus enim ſum de Arte Rhetorica non veteres communeſq; laudationes, nec illa toties inculcata præconia, quibus audiendis licet veriſſimis atque illuſtriſſimis, tamen propter aſſuetudinem eruditæ aures obſurduerunt: ſed ego alia quædam ſpero me attuliſſe, huius Artis præcipua ornamenta, ſi minus magna atq; magnifica, certe vera & ſua. Quæ dum explico & retexo, amabo vos, humaniſſimi Auditores, vt mentis aciem intendatis; atq; ita cum animo reputetis vos, altero tanto amplius ex materia ipſa delectationis, quam ex mea dicendi horriditate moleſtiæ eſſe capturos.

Eſt vulgare verbum, haud ſcio, dicam ne tantum inter Grammaticos, an vero etiam inter homines eruditos: eſt certe inter pleroſq; qui tractant ſtudia litterarum, ſed maxime inter illos, Tria eſſe inuentu longe difficillima, & (vt illi loquuntur) impoſsibilia. Remp. Platonis, Regem Xenophontis, Oratorē Ciceronis. Tam multas enim, atq; tam varias in Remp. ſuam leges congeſſit Plato; tot tantiſq; corporis atq; animi dotibus Regem ſuum inſtruxit Xenophon; tam eximia diſciplinarum, & artium pene omnium cognitione Oratorem ſuum ornauit Cicero; vt tria trium virorum miracula, omnium ſermone ac prædicatione celebrentur. A qua quidem tam in-

clyta, probataq; ſententia, ſi mihi veniam datis Auditores, quicquid ſentiam libere profitendi, non dici poteſt, quam ego ſemper abhorruerim, & quam nihil in tali dicto putarim eſſe leporis, argutię, veritatis. Propterea quod cum in tanta rerum artium, actionumq; immenſitate tam difficile ſit euadere ad ſummum, quam facile in aliqua mediocritate conſiſtere; alterutrum neceſſe eſt, vt vel tria, quæ dixi, faciliora ſint, quam vulgo homines opinantur; vel certe ſi difficillima ſint, ſola tamen non ſint, & aliam ſecum trahant rerum ſimilium multitudinem. Atque vt taceam de rebus publicis, & de regibus qui ad noſtrum negotium minus attinent; ſi per artium & diſciplinarum genera liceret excurrere; auſim dicere, non minus difficile, minusue rarum inuentu eſſe, peritum medicum, doctum philoſophum, excellentem theologum, quam lepidum oratorem. cum enim cuiuſq; artis & ſcientiæ difficultas pendeat potiſſimum ex ijs, quæ cuique ad agendum dicendumue ſubiecta ſunt: non eſt dubium, quin magis abdita, magiſq; in obſcuro ſita ſint ea, quæ ceteris maiorum artium profeſſoribus, quam quę oratoribus proponuntur. Id quod exemplis vndecunque collatis, non difficile foret oſtendere, ſi non etiam ipſius Ciceronis teſtimonio comprobaretur; cuius nobis auctoritas inſtar omnium argumentorum eſſe debet; vel quia eſt ad omnem cauſſam, rationemq; grauiſsima; vel quia etiam ſi minimum valeret in ceteris; tamen iudiciorum ratio fert, vt aduerſus auctorem ſuum nulla res

firmior

firmior, aut potentior habeatur. Quid ergo Cicero? quam ſubijcit huic arti materiam ad diſſerendum? Orator, inquit, in ijs rebus verſari debet, quæ ſint ad communem ſenſum, & popularem intelligentiam accommodatæ: ita vt maximo illi vitio tribuatur, ſi nimium erudita, docta, ſubtilia, & vulgari conſuetudine abhorrentia perſequatur oratione. fieri autem non poteſt, vt facillima ſint ea, in quibus Oratorem exerceri conueniat; Oratorem vero eſſe, ſit difficillimum. Huc accedit quod, tametſi neq; Tullius hoc dixiſſet, neq; Ariſtoteles, neque Plato, neq; omnino quiſquam aut veterum, aut recentium: tamen ipſa rerum natura docere nos potuit, quæ cum populo agenda eſſent, non niſi trita & communia eſſe oportere. quid enim aliud clamant fora, templa, gymnaſia, curiæ, conuentus, conciliabula, & omnes hominum ſiue publicæ, ſiue priuatæ conſultationes, quam perſpicua, & plana, non obſcura, neque ardua debere eſſe, quæ diſputantur? Itaque multi olim reperti ſunt, & hodie non pauci reperiuntur, qui maiorum non modo artium præſidio deſtituti, ſed ipſa etiam arte rhetorica ignorata, vſu tantum, atque exercitatione confiſi, dominãtur in cõcionibus, & perfecti Oratoris officia cõciliando, docẽdo, incitãdo ſtrenuẽ ac diligenter exercent. Id quod in ceteris diſciplinis nequaquam accidit: nemo enim ſine doctrina, longoque ſtudio medicus, aut iureconſultus, aut mathematicus vnquam fuit; Orator fuit. vt nõ ſine cauſſa dictũ ſit a Platone in Gorgia, Ceterarum

terarum animi facultatum tecnologiam, ſiue artem quandam videri, Rhetorice autem non videri: quoniam tota vis et ratio benedicendi a natura proficiſcatur, & vſu tantum atque exercitatione conſiſtat. nec diſſimiliter Ariſtoteles Dialecticam, & Rhetoricam tales eſſe oſtendit, vt vulgus etiam imperitorum vtriuſq, particeps facultatis, natura tantum magiſtra, eſſe videatur. Et Carneades ille Antonianus apud Ciceronem dicebat ideo nullam artem eſſe dicendi, quod ita nati ſumus, vt blandiri, & ſupliciter inſinuare ijs, a quibus ſit petendum, & aduerſarios minaciter terrere poſſumus, & rem geſtam exponere; & id, quod intendimus, confirmare, & id, quod contra dicitur refellere; & ad extremum deprecari aliquid & conqueri, quibus in rebus omnis Oratorum diſciplina verſatur. Quæquidem cum ita eſſe omnes intelligant, & ipſe in primis Cicero fateatur; idem tamen conſtanter affirmat, & plane omnibus perſuadet, difficillimam omnium artium eſſe Rhetoricam. Nobis vero cum hodierna diſputatione propoſitum ſit oſtendere, ac planum facere nõ modo nõ obſcuram, non arduã, non difficilem; ſed potius claram, facilem, expeditam eſſe artem dicendi: age videamus, & quam breuiſſime fieri poteſt, inueſtigemus, quæ iſta tandem ſit difficultas, & vnde ortum atq; originem trahere videatur.

Eſt ſententia inde vſque ab Ariſtotelis,&Theophraſti ducta temporibus, tum Rhetorum plane omnium, maxime Ciceronis, & Fabij teſtimonio confir-

confirmata ; quinque eſſe partes , & quaſi membra eloquentię , Inuentionem , Diſtributionem , Elocutionem , Memoriam , Pronunciationem. Nam & ante, inquiunt , inuenire oportet quibus de rebus agendum ſit ; quod eſt ingenij ſingularis; deinde ſuo loco diſponere vnamquamque rem , quod eſt eximiæ cuiuſdam prudentiæ ; tertio adhibere apta rebus ornamenta dicendi , quod exquiſitæ artis officium eſt ; quarto ad verbum omnia commendare memoriæ, & pro rerum de quibus agitur , & perſonarum cum quibus agitur, & locorum in quibus agitur , dignitate pronunciare : quod vltimum omnium maximum , ac difficillimum a Demoſthene putabatur . Ex qua quidem partitione Rhetorica ſatis conſtare putant huius artis incredibilem quandam magnitudinem ac difficultatem . Quia , inquiunt, quinq; magnæ artes ſunt, quę vnam ex ſe coſtituunt eloquentiã: cumq; ſingulæ per ſe admodum obſcuræ,atq;difficiles habeantur , quid porro cenſendum erit de vniuerſis ? Et tamen quaſi parum ampla facultas dicendi foret , in quinq; artes diſtributa : Lucius Craſſus hæc adiungebat, Nemo mea quidem ſententia poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium magnarum rerum , atq; artium ſcientiam conſecutus. Ad quæ rurſus Quinctilianus vitæ probitatem adiungendam putauit , & Oratorem , teſte Catone , non niſi virum bonum aut fuiſſe, aut eſſe poſſe contendit .

Quæ quidem ſi vera ſunt, Auditores,duo ex his

colligo

colligo, τὰ παράδοξα inaudita, inopinata: primò nihil videri difficilius, atque facilius arte rhetorica: eſt enim difficillima, quia omnes artes doctrinaſq; complectitur; eſt facillima, quia pueris poſt Grammaticam explicatur. ſecundo, Non oportere in ſingulis artibus prædiſcendis ætatem conſumere: ſatis eſſe vnam ſibi comparare Rhetoricam, quando in ea cetera omnes diſciplinæ continentur. Quæ cum abſurdiſſima ſint, videndum nobis eſt, quanto vltra proferendi ſint rhetoricæ artis fines, & quibus terminis excludendi. Sed obſtat M. Tullius, qui ait, Ceterarum quidem artium definitam eſſe materiam, Rhetoricæ autem infinitam, aut enim, inquit, de omnibus rebus benedicendum eſt ei, qui ſe Oratorem eſſe profiteatur, aut Oratoris nomen relinquẽdũ eſt. Ita ne vero? ergo tam late patebit Rhetorica, quam Philoſophia? quam ſapientia? quã omne ſtudium, & doctrina liberalis? non poteſt: nec vos, opinor, Theologi, Phyſici, Iuriſconſulti ferretis ęquo animo, veſtras diſciplinas, quaſi pediſſequas & miniſtras, ſeruire Oratoribus. Imo ſi de nobilitate atq; amplitudine certamen ſit, ſcio, vnumquemq; veſtrum eſſe facile probaturum, artem dicendi ad puerilis doctrinæ ſtudia relegandã eſſe; ceteras plane omnes longo interuallo præcedere oportere. Quod ſi Cicero dixiſſet, Philoſophiam, Iuſciuile, Mathematicam, aliaſq; maiores artes eſſe vtiles oratoriæ, imo vero (dicam amplius) neceſſarias, & ſine illis non niſi frigidum, tenuem ac ieiunum eſſe poſſe magiſtrum dicendi: ferremus

ferremus facile; omnes enim artes, & diſciplinę quadam inter ſe affinitate ita copulantur, vt altera iuuet alteram, & nonnullæ ſine nonnullis exiſtere prorſus non poſſint. exempli gratia: non eſt Phyſica ſine Dialectica, nec Poëtica ſine Rhetorica; per Philoſophiam tranſitus eſt ad rem medicam, per Grãmaticam ad omnes artes.

Age tamen, quod cœpimus, videamus. Ariſtoteles acerrimo vir ingenio in rebus excogitandis, & iudicio in diſponendis technologias, ſiue præceptiones omnium artium, hoc modo formandas putat: vt primo ars ipſa definiatur, & ſuis quaſi limitibus circumſcribatur: deinde in partes proprias, atque, vt ille loquitur, homogeneas diuidatur: poſtremo ſingulae partes explicentur, & appoſitis illuſtrentur exemplis. Nunc date mihi hanc veniam, Auditores, vt quod didici a magiſtris meis, id mihi proponere liceat, citra omnem arrogantiæ ſuſpicionem, non definiendi cauſſa, quod neque mea imbecillitas poteſt, neq; pudor ferret; ſed tantum diſquirendi. Crediderim igitur, atque ita prorſus neceſſe eſt, in vno illorum trium, quæ modo dixi, peccatum aliquod eſſe admiſſum in tractanda Rhetorica, vt vel non optime definita fuerit, vel non in proprias germanaſq; partes diſtributa, vel denique minus cõmode per partes explicata. Nos vnumquodq; quam licebit breuiſſime, conſiderabimus, & finẽ dicendo imponemus.

Eſt igitur definitio Rhetoricæ meliorum aſſenſu Rhetorum comprobata, Rhetorica eſt ars benedicendi.

benedicendi, quæ quidem totam Rhetoricæ vim & naturam exprimit. quemadmodum enim Grammatica docet emendate loqui, & Dialectica probabiliter diſſerere in vtramq; partem; ita Rhetoricæ munus eſt bene dicere, ideſt ornate, grauiter & copioſe dicere. In qua quidem re vnum mihi ſemper admirabile viſum eſt, quod ſenſi eſſe commune omnibus tam veteribus, quam recentibus, qui de hac arte præcepta poſteris reliquerunt. Amabo, viri eruditiſſimi, date mihi hanc operam libenter, & taciti reputate cum animo quæſtionem, quæ mihi negotium exhibet ignoranti, vobis vero facile fuerit intelligere eruditis. Mos eſt omnium Rhetoriſſantium, definita Rhetorica, ideſt arte oratoria (Rhetor enim latine Oratorem, & Rhetorica Oratoriam ſignificat) continuo quærere quid ſit Orator, quod ei officium, & qui finis propoſitus in dicendo. Cum enim Rhetorica ſit ars bene dicendi, quid eſſe aliud, ſiue officium, ſiue conſilium Rhetoris poteſt, quam bene dicere? Qui ſubtilius, & acutius iſta diſputant, credo, vident fortaſſe aliquid, quo non adſpirat hebetudo ingenij meij. Sic enim ſoleo ratiocinari comparando: Cum conſtet exempli gratia, Grãmaticam eſſe artem emendate loquendi; fruſtra quærimus deinde, quid ſit Grammaticus, quod ſit munus aut officium Grammatici: porro Grammaticus eſt, qui emendate loquitur, & Grammatici officium eſt emendate loqui. finis quoq; non aliud quam officium, emendate loqui. Sic vbi ſcierimus cœmentariam eſſe artem conſtruendi

domum

domum; non modo ſuperuacaneum, ſed plane ſtultum eſſe videatur inueſtigare, quid ipſe ſit cœmentarius, vel quod eius officium & finis. Egomet, qui hæc diſſero, cuius iam officium & finis eſt iſta redarguere, vix tamen repetere audeo, quod definitio ipſa nimium aperte docet, cœmentarium eſſe, qui ſcientiam habeat conſtruendi domos, & cœmentarij tam officium, quam finem nō eſſe aliud quam conſtruere domos. Hoc ipſum in Dialecticis, in Poëticis, in re medica, nautica, bellica; deniqua in toto illo genere artium, quas Græci ϛοχαϛικάς, noſtri vocāt coniecturales, liquidius clariuſq; diſcernitur, quam vt faces argumentorum rationumq; adhibendę eſſe videātur. Nunc rogo, cur idem mihi non accidat in Rhetoricis? nam & Rhetorica de illis artibus eſt, quarum ratio pendet a coniectura: quæ ſi ars eſt benedicendi, vt plerique omnes fatentur; neceſſario videtur conſequi, Rhetorem ſiue Oratorem eum eſſe, qui bene dicat, eiuſdēq; officium ac finem eſſe non perſuadere, ſed benedicere. Quod tamen ipſum, vt paulo ante diximus, poſt Rhetoricę definitionem exprimendum non fuit: ſatis erat ſua ſponte notum: Definitio patefecerat: ignorari non poterat.

Quod ſi fortaſſis obijcias, veriorem videri illorum opinionem, qui exiſtimant Rhetoricæ finē eſſe perſuadere, quam illorum, qui bene dicere: non pugnabo acriter aduerſus iſtud, quod nunc quidem ad me non attinet, ſed hoc dicam, in alterutro peccatum eſſe a magiſtris dicendi, vel in

arte definiēda, vel in artifice deſcribēdo. Nā ſi finis eſt Oratoris pſuadere, dicendū nō fuit, Oratoriā ipſam facultatem eſſe artem benedicendi, ſed artē perſuadēdi, vel benedicēdi quidē, ſed propter perſuadendū. Cōtra ſi facultas Oratoria vere definita eſt Ars benedicendi, adiungendū nō fuit, Oratoris finē eſſe perſuadere: quandoquidē, vt oſtendi, hoc in genere artium finis ab officio non ſeiungitur. Atq; hoc, Auditores, quod de Rhetorica finitione diſſerui, diligentius animaduertendum eſt, quod ex eo, niſi fallor, tota quæſtionis huiuſce ratio pendet. Nam ſi ex pręcepto ante tradito per Ariſtotelem de artibus conſcribendis, reſponderet partitio definitioni, & in tota tractatione Rhetorica nihil aliud doceretur, quā quod artis ipſius definitio comprehēdit: numquā orta eſſet illa tanta cōtētio, & dimicatio de tot artibus vni Rhetoricæ, tanquam dominæ ancillantibus; deq; illa rerum congerie, perturbatione, infinitate, quam pleriq; oratoriæ ſubiectam eſſe voluerunt. Propterea quòd, vt a definitione tranſeamus ad partitionem (qui fuit diuiſionis noſtræ locus ſecundus) Rhetoricæ partes propriæ, germanæ, homogeneae tantum illæ ſtatuēdæ ſunt, quæ a definitione naſcuntur, & ad bene dicendum pertinent, cuiuſmodi tantum duæ nihilo plures aſſignari poſſunt, Elocutio, & Pronunciatio. Nam ceteræ, quas vulgo Rhetoricæ partes nuncupant, Inuentio, Diſpoſitio, Memoria, non veniunt in hunc numerum, vt ex tali argumentatione perſpicuum fore arbitror.

Partes propriæ cuiuſq; artis, & facultatis habendæ ſunt, quę tantummodo ad illam ſpectant, & cum cęteris nihil commune habent. At inuentio, diſpoſitio, memoria nihilo plus ad Rhetoricam, quam ad ceteras ſiue artes, ſiue doctrinas pertinent. Sequitur ergo vt inuentio, diſpoſitio, memoria partes Rhetoricæ haberi non debeant. Argumentationis propoſitio, & quia eſt Ariſtotelis, & quia non ſolum animo cernitur, ſed etiam (quod aiunt) manu tangitur, & contrectatur, longiorem probationem non deſiderat, breui explanatione contenta eſt. Dico igitur partes artiū ſingularum debere appellari ſolum eas, ex quibus illę artes conſtant, atque conflatæ ſunt; non eas, quæ aliarum communes artium ſunt, & eodem modo a pluribus vſurpantur. exempli cauſſa: partes rei grammaticę numerantur quatuor, Ortographia, quę in litteris; Proſodia, quę in ſyllabis, Ethymologia, quę in ſingulis dictionibus; & ſyntaxis, quæ in dictionibus copulandis, ſtruendiſque verſatur; & hæ quidem partes ad Grammaticam ita pertinent, vt ab earum tractatione omnes reliquę artes excludantur. Neq; me pręterit, Auditores, iſta paulo accuratius, atque ſubtilius expendere dialecticos, dum oſtendunt res eaſdem ſæpe aliam atque aliam faciem, formamque induere, & ad plures artifices pertinere. quorum acumen mihi in pręſentia neceſſarium non eſt. Aſſumptio ita probatur. Inuentio, vt Rhetores ipſi definiunt, eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſſam probabilem reddant.

Hoc

Hoc vero non vni faciunt Oratores, ſed etiam Medici Philoſophi, Iuriſconſulti, & alij plane omnes maiorum artium profeſſores. quorum ſinguli neceſſe habẽt excogitare rationes veras, aut ſaltem veriſimiles, quibus illorum ſiue opinio, ſiue ſcientia innitatur. Nõ eſt igitur Oratoris proprie Inuentio. Quid diſpoſitio? num ſolus Orator prudenter ordinat, diſponitq; ſententias? reliqui omnes promiſcue, perturbate, peruerſe, omnia in vnum quaſi aceruum congerunt, proponuntq;? Hoc vero neque quiſquam conceſſerit, & dialecticus ita negauerit, vt rerum ſeriem ordinemq; non aliunde, quam a ſuis pręceptionibus petendam eſſe contendat.

Sequitur Memoria, quæ cum maxime communis omnium diſciplinarum, & artium eſſe videatur, profecto mirum eſt ab Rhetorica vſurpatam pro ſua; niſi, ſi hoc neceſſe ſit, ab oratore ſententiam dici memoriter, a ceteris vero nihil neceſſe eſt. licet ergo iuriſconſultis ad Iudicem, ad Pontificem, ad Imperatorem, ad Regem de ſcripto recitare ſententiam, & cum de iure gentilitio, de alluuione, de poſtliminio, de teſtamento iudicium eſt, Pomponium ſecum afferre, aut Vlpianum, immo vero Baldum quoq; & Bartolum; in eiſque ante tribunal aut legere, aut legẽdam iudici dare ſententiam. Medicum quoque, & Philoſophum, & Aſtronomum non oportet fatigare memoriam ediſcendis interpretationibus. poſſunt ferre in Gymnaſium Galenos, & Ariſtoteles, & Zeroaſtros, eorumq; non memoriter ex-

explicare ſed legendo dictare ſententias de ſuggeſto. Nimirum Auditores, hoc planius eſt ad cognoſcendum, quam vt quiſquam probare contendat. vim ipſam recordandi omnibus facultatibus, & artibus, & ſcientijs eſſe communem, nec licere cuiquam ſibi vindicare tamquam propriam & ſuam. Quod ſi fontem, aut pratum, aut nemus publicę vtilitati comparatum occupare, ac ſuum facere nefas eſt; & qui tale aliquid conaretur, eum iure publico coercendum putaremus: quis non miretur, aut irruiſſe olim in poſſeſſionem non ſuam Oratores, aut nemine prohibēte, per tot ſecula retinere? Quod ſi cuiquā licere oportet, Memoriam ſcientiæ ſuæ partem ducere; crediderim vobis potius licere iuriſconſulti, quorum audio tantam eſſe rerum, actionum, opinionum, comentariorum, librorum infinitatem, vt non ſine cauſa in prouerbium abierit, Memoria iuriſconſultorum. Sed vos arbitror legum vindices, & defenſores ęquitatis noluiſſe contra leges, contraq; ęquitatem ea vobis attribuere, quę ſint omnium. Quod ſi vos noluiſtis, qui facillime potuiſtis, hodieq; vt cum maxime poteſtis: multo minus ferendum eſt licuiſſe illis, quorum in ea re minimum ius, & auctoritas eſſe videretur. qui ſi hactenus poſſeſſione deiecti non ſunt, credo potiſsimum ex eo accidiſſe, quod illi regnarent in iudicijs, & ijdem ferè doctiſsimi iuriſconſulti, & diſertiſſimi oratores habebantur. Itaq; L. Sceuouola, M. Craſſus, Ser. Sulpicius, C. Cotta & alij, qui propemodum ęque cauſſas orabant, & de iure

reſpondebant,

reſpondebant, cum vtramque tenerent diſciplinam, & in vtraque pariter excellerent; non fuerunt in eo occupati, vt conſtituerent ad vtram magis artem Memoria pertineret, ciuilem ne an oratoriam .quo quidem nunc ſublato more dicēdi, diuiſiſque doctrinis, aut ad ius ciuile transferenda Memoria eſt, aut certe in medio relinquenda. Si ergo & inuenire argumenta, quibus aliquid confirmes, aut infirmes; ſi diſponere quæ inueneris, ſi meminiſſe quę diſpoſueris, omnium eſt artium, vt oſtendimus; ſequitur vt inuentio; diſpoſitio, memoria, partes proprię facultatis oratoriæ dici non debeant. Reſtat vnum, quod videtur obijci nobis poſſe, quod breuiter proponam, breuius refellam, breuiſſime perorabo.

Poſſit ergo argutus aliquis adoleſcens aduerſus ea, quæ diſputauimus, hæc adducere in contrarium. Nulla eſt, neque eſſe poteſt Oratio Rhetorica ſine inuentione, ſine diſpoſitione, ſine memoria: ergo tres iſtæ, quas reijcere conati ſumus, partes Rhetoricæ ſunt, non ſolum propriæ, ſed neceſſarię: prorſus enim neceſſarium eſt ad dicendum inuenire antea, quod dicas; deinde ſuo loco diſponere vnamquamque rem; tertio ornamentis, quaſi coloribus pingere Orationē; quarto in memoriæ theſaurum recondere; poſtremo apte atque venuſte pronunciare. Sunt ergo quinque partes oratoriæ facultatis, nec vna quidem pauciores. Accedit ad rationem auctoritas atq; conſenſus plane omnium, qui de arte dicendi cōſcripſerunt, non recentium modo, ſed & veterū,

Fabij, Ciceronis, Hermogenis, Ariſtotelis, hui qualium quantorumq; virorum! quorum velle infringere validiſsima teſtimonia, p Agricolã neſcio quẽ, a quò iſta opinio videtur ſata, & a paucis exculta parũ feliciter, nõ modo impudẽtiæ, ſed fatuitatis amentiæq; eſſe videatur. Sane validũ argumentum, auctoritas fortaſſe validior. Ego dicã aduerſus vtrumq; rationem meã. Vos lectiſſimi Auditores, pro doctrina & ſapiẽtia veſtra iudicatote.

Fuit igitur hoc argumentum; Inuentio & ceteræ partes neceſſariæ ſunt ad texendam Orationem: quod certe ita eſt, negari non poteſt. ergo illæ ſunt Rhetoricę partes: hoc vero ex illo conſequi nõ videtur: non enim ſi neceſſariæ ſunt, ideo etiam partes ſunt: poteſt eſſe aliquid neceſſarium artifici, quod eius artificij pars eſſe non poteſt. Hoc aliarum exemplo artium facile declaratur. Phlioſophia eſt Medico neceſſaria, Methaphiſico Dialectica, Theologo alijſq; Grammatica, quis tamen dixerit Philoſophiam eſſe partem Medicinæ, Dialecticã Metaphiſicæ, Grammaticam Theologiæ, & artium reliquarum? fere nulla ſcientia eſt ſine Dialectica, ſine Grãmatica prorſus nulla. Dialectica igitur pars erit artium multarum, Grãmatica omnium? quid abſurdius? ignoſcite mihi homines eruditi, ſi mea potius, quam veſtra cauſſa, deſcendam adhuc ad ſimilia planiora; Ex artibus manuarijs non eſt vlla ſimilior oratoriæ, quam cœmentaria, ſiue muraria: itaq; habent commune verbum artificij, vel opificij deſignandi, cum vterque dicatur adornare, fabricare

conſtruere, illi orationem, hic domum.finge igitur fabrum murarium componere domum, vt Orator ædificat orationem : dicesne quęcumq;ad perficiendam domum neceſſaria ſunt, eſſe partes ædificatoriæ ? Non opinor : quia obices feneſtrarum, tigilla, tabulata operi fulciendo, & connectendo ſuppeditantur a lignario; ſeræ,peſſuli, claues, cardines a ferrario; tegulę, imbrices, lateres a fornacario.ac veluti nemo dicit tegulariam, lignariam, ferrariam eſſe partes cœmentariæ, ſed vnamquamque ab altera diſcretam, ſuis quaſi finibus contineri,licet ad domum ędificandam vniuerſæ adhibeantur:ita non quæcumq; vna coeunt ad fabricandam Orationem,ea ſunt oratorię vniuerſa. Prębet enim exempli cauſſa Grammaticus verba pura & emendata, Dialecticus argumenta & probabilitatem,Rhetorica tantum ornamēta, & quaſi pigmenta ſermonis. poteſt & iuriſconſultus conferre de ſuo aliquid ad pangendam Orationem, vt multa contulit M.Tullio ad eas, quæ ſunt pro Cęcina, pro Quinctio, pro Muræna: poteſt & Philoſophus, & Theologus, & Aſtrologus, & vno verbo quicunq;aliquid tractant,quod explicari, ornari,augeri dicendo poſsit. Quamobrem ad conſtituendas alicuius doctrinæ partes proprias & genuinas, non ſatis eſt ſi oſtenderis, doctrinam illam non conſtare ſine illis : ſed hoc inſuper neceſſariū eſt, quod in Philebo ait Plato, & confirmat rarus in ceteris aſſenſor Ariſtoteles, adeo eſſe peculiares, atque vt illi loquuntur, homogeneas, vt talem in modū acceptę,nullis pre-

terea diſciplinis, atq;artibus ſubijciantur.

Atque hoc quidem, Auditores, ſi olim in tradenda Rhetorica obſeruatum foret, vt tantummodo partes illius haberentur,quę ad benedicendum conferunt, ideſt vna Elocutio, ſi dumtaxat ſcribendum ſit, vna comes Pronunciatio, ſi recitandum: non angeret nos illa quęſtio toties agitata, numquam ſoluta, quæ Ciceronis auctoritate confirmata & roborata, tam altas atque tam validas in pleriſque radices egit, vt euelli, atq; labefactari non poſſit. porro veteres illi, & plerique recentiorum quicquid viderunt aliquando, etiam in tranſcurſu tractari ab Oratore, id continuo partem eſſe artis oratorię ſtatuerunt.Et quia non numquam accidit, (accidere autem ſæpius poteſt) vt Orator de iure ciuili, de re medica,de mathematicis, de cœlorum conuerſionibus, de motu ſiderum & planetarum verba faciat; ideo perfectum Oratorem dici nolebant, niſi qui omnium rerum ſcientiam animo comprehendiſſet. Quę fuit cauſſa, vt exorta inter artes contentione, poetica quoq;turpe putans inferiori cedere, ſuſtulerit animos, & ſibi quoq; ſcientiam doctrinamque rerum omnium vindicauerit. neq;dialectica fuit ſuis contenta finibus,ſed argumentis ab ſe confictis & fabricatis probare nititur ſeſe duabus ſine controuerſia nobilioribus antecedere oportere, quod verum, aut probabile ſine ipſa neque in illis,neque in ceteris diſcernatur. Sola ex quatuor iacet Grammatica, quę ſi neceſſitatis valeat ratio,haud dubie principem locum tribue-

re ſibi merito queat: quandoquidem multæ ſunt artes ſine Dialectica, plures ſine Rhetorica, pleræq; omnes ſine Poetica. Sed Grammatica omnibus præſto eſt, vna omnibus adminiculatur: vna & mater, & nutrix, & comes omnium eſt: parit, nutrit, fouetq; ſingulas, neq; mox natu grandes atq; adultas deſerit, quarum ſollicite curauit infantiam; ſed per omnem diſputationem, meditationem, ſcriptionem fideliſsime comitatur. Itaq; ſi cui licitum eſſe oportet rerum omnium vſurpare doctrinam, & vſurpare hoc nomine, quia ſoleat errare per ſingulas: non eſt dubium, quin poteſtas iſta Grammatico ſupra ceteros debeatur. Quod ſi eum tamen excluſum volumus ab rerum tractatione grauiorum, multo eſt æquius excludi Rhetoras, quia grauia illa & grandia tam propinqua cognatione non tangunt. Nam ſi propterea Oratori omnes artes tenendæ ſunt, quia interdum accidit, vt de ſingulis loqui habeat: ego dicam eodem modo teſtoribus, ſutoribus, calceariis neceſſariam eſſe muſicam, vt longã odioſamq; fatigationem cantus ſuauitate demulceant, & conſolentur.

Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor
Indocili numero cum graue mollit opus.
Cantat, & innitens limoſę pronus arenæ,
Aduerſo tardam qui trahit amne ratem:
Quiq; refert pariter lentos ad pectora remos,
Innumerum pulſa bracchia verſat aqua.
Feſſus vt incubuit baculo, ſaxoq; reſedit,
Paſtor arundineo carmine mulcet oues.

Cantantis

Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturq; labor.

Res autem ita ſe habet, quantum ego quidem per imbecillitatem ingenij diſcere potui, Auditores. Artium humaniorum duplex ratio eſt, vna in docendo, altera in vtendo. Artes dum docentur, permiſcendæ aut confundendæ non ſunt: vnamquamq; a ceteris ſegregatã ſuo regno, ſuaq; ditione oportet eſſe contentam, neq; in aliarum fines impetum facere, & tyrannorum more prædari, quæ ab alijs occupata iam ſunt. Grammatica ſatis habeat docere ſermonem purum, proprium, emendatum, Dialectica probabilem, Rhetorica ornatum, Poetica certis legibus numeroſum. In vtendo autem, vt in oratione conficienda, in texenda hiſtoria, in pangendo epigrammate nihil impedit, immo ſæpius neceſſe eſt a varijs artificibus mutuari aliquid, quod valeat ad opus perficiendum, exempli cauſſa. Lucretius cũ illos de rerum natura libros componeret, non omnia ſumere potuit a re poetica, quia illa tãtũmodo docet verſum facere, nihil fere aliud: ſed videte, quam multi aliquid de ſuo contulerint ad exquiſitam illius operis perfectionem. Grammatica ſuppeditauit nudam, ac ſemplicem latinitatem; Dialectica præbuit argumenta, vel ad Stoicos refellendos, vel ad ſuum præferendum omnibus Epicurum; Rhetorica tropos figuraſq; verborum & ſententiarum miniſtrauit ad poliendam comendamq; orationem; Poetica docuit illa omnia certis numeris menſuriſq; conſtringere, &

carmen

carmen heroicum modulari. Neq; propter eam cauſſam neceſſe eſt dicere, Grammaticam, aut Dialecticam, aut Rhetoricam eſſe partes poeticę facultatis: non magis, inquam, hoc licet, quam ſi quis affirmet, artem lignariam, aut ferrariam eſſe partes ædificatoriæ, quia cum illa coniungantur ad ædificium conſtruendum. Artes enim & ſi vſu perſæpe coniunguntur, præceptis tamen ſuis, & facultatibus proprijs diſtinguendæ ſunt: itaq; non ſi Pericles optimus ſenator, & orator fuit, iccirco Politica & Rhetorica vna, & eadem ars eſt: aut Politica Rhetoricæ pars exiſtimanda eſt: Nec quia Empedocles Agrigentinus Pythagoream doctrinam heroico carmine complexus eſt, fuitque idem Phyſicus & Poeta; ideo Poeſis & Phyſica vna & eadem ars eſt. Sic Plato Philoſophiam de moribus a Socrate, Mathematicam diſciplinam a Theodoro, Euclide, Philolao, Methaphiſiçen, Etnicamq; Theologiam ab Aegiptijs ſacerdotibus didicit; quę artes quamquam in vno Platone magnæ atque illuſtres fuerunt; eædem tamen ipſę non ſunt; ſed ratione, præceptiſq; inter ſe diſtinguuntur & ſeparantur. Noſter ille Beatiſſimus Pater Bernardus, omnium fere magnarum artiũ ſcientiam animo comprehenſam habuit, Poeticã, Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam, quod ex illius Elegijs, Epiſtolis, Orationibus, Commentationibus facile conſtat. Nec tamen ille omnes in Bernardo ars vna ſunt, plures ſunt, diſtinctæ ſunt. Verum hęc ſine dubio longiora fuere, quam præſentis inſtituti ratio & cauſa requirere videbatur.

videbatur. præſertim cum iam dudum ex tacito quodam conſenſu, vel potius ex oculis propemodum loquentibus, colligere mihi videar (doctiſſimi & humaniſsimi Auditores) noſtram vobis arridere ſententiam: vos vero (Contubernales & condiſcipuli ſtudioſiſsimi) iam videam vultu alacres, & animo paratos, ad Rhetoricam mecum tanto celerius atq; cupidius cognoſcendam; quanto eſt non ſolum iucundior ad fruendum, quā putabatis, ſed etiam breuior ad inquirendum, & facilior ad conſequendum.

DIXI.

Typographus Lectori S.

VACABANT paginæ aliquot, & dubitabam, qua materia implerem. venit hęc in manus epiſtola de libellis a Bonciario conſcriptis, editis, edendis. viſa eſt in propoſitum belle cadere, non lectorum dico, ſed meum: imo & illorum. ſcient enim ecquid eiuſdem Auctoris in hunc diem dederimus, aut daturi ſimus in poſterum. NON erat hic locus — dicet aliquis. Imo erat locus, & quoniam vacabat, impleuimus. In his autem Decorum nimis expeti non oportet; quæ adhibentur, non ad ornandum, ſed ad medendum. Vale.

FRANCISCVS MASSOLINVS

FRANCISCO FRATRI, Ordinis Minorum Obſeruantium. S. D.

PRO ea beneuolentia, qua proſequeris M. Antonium Bonciarium Magiſtrum, propinquum, & pæne alterum mihi parẽtem, rogaſti me, ſoauiſſime Frater, vt primum de ſcriptis ab illo editis in hunc diem, poſtea etiam de illis, quę propediem editurus videatur, faciam te diligenter atq; ſubtiliter certiorem. Qua quidem in re obſequar tibi hoc libentius, quod iam dudum exercitationis gratia, vniuerſam illius vitam deſcribere ſum ingreſſus: & pertinet iſta tractatio magnopere ad rem meam. Accedit, quod iſtuc ipſum alij permulti non a me ſolum, ſed & ab alijs Bonciario familiaribus petiuerunt, petuntq; in dies. Defungar igitur ſemel iſto labore, multiſq; pariter ſatisfaciam vnius rogatu. Dicam primum de illis lucubrationibus, quas ſoluta oratione conſcripſit, quæ Oratoria vocabo; deinde ſubiungam de poeticis, quæ Poetica.

Quattuor edidit Orationes, ab ſe publicæ habitas, vnam in Seminario De ratione diſcendi latinam linguam, cum eſſet adoleſcens; alteram multis poſt annis in Muſeo ſuo, qua egerat gratias Cardinali Cuſano, alijſque principibus viris, quos Comitolus Epiſcopus in Collegium deduxerat. in his tres fuere ab illo plurimum laudati, quos hodie in numerum Cardinalium relatos veneramur, Carolus de Comitibus, Hieronymus Pamphilius, Cæſar Baronius. Tertiam ille vocat extemporaneam, qua Siluestro Aldobrandino, tunc Priori Vrbis, nunc Cardinali S. Cæſarij, gratulatus eſt felicem aduentum

Paruſiam,

Peruſiam, in Gymnaſium, ad Collegium. Quartam deniq; triennium eſt, cum habuit in exequijs Io: Vincentij Hondedæi. Et hæ quidem typis excuſæ ſunt, poſtrema etiam recuſa. Erant ſub prælo, cum hæc ſcriberem, duæ laudationes, altera pro Bernardino Alfano I. V. C. altera pro Thadæo Theologo Auguſtiniano. illam quindecim ante annos ipſe habuit, hanc tantum ſcripſit. Habet præterea circiter triginta, varijs temporibus, ſiue ab illo habitas, ſiue ab illius auditoribus recitatas, vel in Gymnaſio publico, vel in noſtro Collegio. De quibus diuulgandis ille quidem non cogitat, etſi vrgent ex amicis permulti, & Epiſcopus tantum non imperat.

Sed mihi exiguus ingenij partus totam impleuit paginam. quæ maiora ſunt, breuius abſoluam. Sequitur Ars Grammatica, quam pariter ſcripſit adoleſcens, vt Patrem ſuum quadragenarium, eoque ſeniorem doceret latinam linguam. Id quoniam ſucceſsit egregie; coactus eſt ab amicis & Superioribus edendum librum concedere. quem poſtea Notis auctum & excultum, biennio quoque recudere oportet. nunc ſexta imminet editio: eduntur q; vna opera ſaltem duo millia exemplarium.

Introductionis ad artem Rhetoricam libri duo, nunc tertium recuſi, & ornati. De quo genere toto quod conſilium eius fuerit, abunde docet Oratio de diſcenda Rhetorica, quæ nũc cum illis exit in lucem. At tu lege inſuper duas epiſtolas, alteram ad Fuggeros fratres initio libri primi, alteram ad Petrum Senſium in fine ſecundi.

Epiſtolarum volumen primum, quod edidimus Peruſiæ anno ſuperiore, ſed eo non dum toto elapſo, recuſum eſt in Germania typis Pauli Egenolfi, non ſolum ornatioribus, verum etiam correctioribus, quam noſtri fuere.

Epiſtolarum volumen ſecundum in decem libros digeſtum. quod iam eleganter deſcriptum, atq; adornatum, certis de cauſis comprimitur; nec ſpero manaturum ante alteram ęſtatem.

Dialogus de gręcis litteris. in quo tria capita differuntur, ideſt primum An diſcenda ſit iunioribus græca lingua, deinde Quatenus diſcenda, poſtremo Qua ratione ac methodo diſcenda. Ne hic quidem datus fuerat typographis ad diuulgandum, cum ego hęc ad te ſcriberem. ſed petebatur, & propediem dari oportebat.

Logodidaſcalus,

Logodidaſcalus, ſiue De latinis quæſtionibus per epiſtolam explicatis, libri ſex. in quibus ea ſubtilius atq;accuratius expenduntur,quæ in grammaticis & rhetoricis explicari pluribus verbis non potuerunt. Habebunt ex eo volumine ſtudioſi harum artium diſceptata & reſoluta, quæcunq; profitentibus & diſcentibus difficultatem afferre ſolent. præterea nouam rationem admodum facilem, & expeditam conſequendæ latinitatis. Hoc mihi volumen traditum eſt ad deſcribendum. Paucis poſt hebdomadibus(ſi Deus adſit) confectum reddam.

Et hęc quidem abſoluta iam ſunt. quæ lucem aut iam aſpexerunt aut iam aſpicient, Muſis bene fauentibus. Reliqua ſunt inchoata permulta: quædam etiam ſic affecta, vt pro confectis haberi poſſint. ſed ea identidem incrementum, & formam, & limam capiunt. Ea ſunt ex præcipuis,

Anticatonum libri duo, In quibus præter ea, quæ olim C. Cæſar obiecerat, colliguntur alia grauiora, per quæ oſtenditur, non fuiſſe in Romana republica ciuem magis ſuperbum & magis pernicioſum quam Catonem,

Epicurus,ſiue Dialogus de antiqua philoſophia. in quo efficacibus argumentis, & doctorum virororum teſtimonijs probatur, neminem de priſcis philoſophis acceſſiſſe propius ad veritatem quam Epicurum: contra nullos ab ea longius receſſiſſe qnam Stoicos: In quo tamen ſecundo placito vacillare illum cogit Phyſiologia, & Manuductio Lipſiana.

Fax Nuptialis in qua refellitur præpoſtera interpretatio illorum, qui carpſerunt epigramma cum Hieropylo editum, De nuptijs Farneſianis.

Horæ geniales, ſiue facetiarum centuriæ neſcio quam multæ: nam augentur quottidie, & tumultuaria ſcriptione confuſę, iacent in Aduerſarijs.

Variarum Lectionum libri circiter decem.quę cur ille Analecta vocauerit, non ſane intelligo: cum tamen hoc conſtet,in vulgari argumento quæſitam tituli nouitatem.

Exameron, ſiue illuſtrium exemplorum decades duodecim, in quibus maxime imitatus eſt Ioannem Boccaccium. Hoc tamen differt plurimum, quod ne vmbram quidem turpitudinis interſpergit, & veras hiſtorias narrat,non fabulas.

Opuſcula permulta, in quibus variarum rerum Diſquiſitiones, Inuectiuæ, Apologiæ continentur. In his Tecnopędia eſt

ſiue

ſiue accurata diſſertio quattuor diſciplinarum, quibus ætas puerilis impertiri debet. Hæ ſunt Grammatica, Dialecti-ca, Rhetorica, Poetica.

Quę vltima monet me, vt hinc tranſeam ad poemata. quæ ſe Oratorijs libris ferme ęquarunt. Ex his diuulgata hęc ſunt.

Hieropylus, Carmen de ſacris foribus a Clemente Oct. Pont. Max. patefactis, eodem Pontifice iubente conſcriptum. Hic poſt annum recuditur, amplior & ornatior.

De Gerardo B. Bernardi fratre, ad Chriſtum conuerſo, libri duo ad Volfangum Archiepiſcopum Salſpurgenſem. Hi primum Bononiæ ſunt editi; deinde (vt audiuimus) in Germania recuſi.

Votum ad D. Virginem Lauretanam, & Triumphus Seraphicus ad Neapolionem Comitolum Peruſiæ Antiſtitem.

Neopſychia, vel Seraphidos libri tres, ad Cæſarem Baronium Cardinalem.

Cardinalatus Excellentiſſimi Principis Aldobrandini.

Silua Epigrammatum ad eundem.

Pædagogomachia, ſiue de bello litteratorum libri duo priores. quos nunc reliqui tres quattuor conſequuntur, & Carminum genera varia.

In Aduerſarijs haud diu poſt recognoſcenda & vulganda, hæc erant, Saladinus, vel Excidium Græciæ; barbaris inrumpentibus.

Triumphus Virginis, ſiue Parthenidos libri, haud facile dixerim quã multi: quia horũ vnus dũtaxat legitur abſolutus: tres quatuor inchoati. nihil adhuc perfectum neq; politum.

Proxime pia omnia poemata vnum in libellum congeſta ſunt; & recuſa Peruſiæ apud Academicos Auguſtos. nunc ſub prælo eſt tomus alter, continens Idyllia varia, Epiſtolas non [illegible]llas, & Apologiam pro Grammaticis.

Habes de Bonciariana Familia, quæ volebas, imo fortaſſe pluſcula, quã volebas. Sed ingratũ eſſe nõ debet ſi eſt nimiũ, quód eſt optimũ. Vale ex Collegio S. Bernardi CIↃ IↃ CVI.

De vno in mentẽ non venit numerãti: & nũc gaudeo nõ ve-[illegible] nec enim ſatis decuit, ludicrum inter ſeria: & venire [illegible] vix meretur, Tognellus, ſiue Senſiados libri tres. Vale iterum.

L A V S D E O.